ANTONII POLI VENETI,

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

Septem libris explicata.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Apud Simonem Galignanum de Karera.

M. D. LXXVIII.

Ad Gregorium XIII. Pontificem Romanum.

Antonius Polus Venetus.

DVO flagitioſorum hominũ genera, Sanctiſsime Pater, Religionem puram, atque ſanctam peruerterunt, perturbatam reliquerunt, ac memoriam pietatis, ca-

Digitized by Google

ſtitatiſque ſuæ extinguere uoluerunt. Audaces Hæretici; Falſique Philoſophi. Iſti qui ſe omnis ſapientię interpretes eſſe iactabãt temporis ſucceſsione Antiquorum ſcripta euertẽtes, ad animæ mortalitatis credulitatem incautos, & improuidos alliciẽtes, in omne genus impietatis impulerunt. Illi ſacras paginas polluẽtes, & infectantes verborum lenociniis, turbulentis expoſitionibus, librisque contaminatis iura diuina, & humana conculcantes, capitumque auctoritatem irridentes multiplices, & inter ſe ualde diſcrepantes opiniones impia ſectarum uarietate ſuſcitarunt. Ideo cum per

Lucidarium Pontificium a me tibi conſecratum, ſuprema ac diuina auctoritate tua demonſtrauerim, quàm intolleranda arrogantia ambulent, quàm impiè, atque nefariè contra eorum ſalutem machinẽtur, & quo modo denique nullo conſilio, nullaq; mente ſint, ſed immodica libertatis cupiditate rapti, leges odiant, iudicia deteſtentur, regũ

Maie-

Maieſtatem extinctam cupiant, vt licentius & impunius queant per omnia libidinum genera uagari, legibus enim miſeri ſolui cupiunt, ut ſerui cupiditatis fiant. Nunc in ſtudium humanæ naturæ acriter incitatus Abbreuiatione quadam Animæ Rationalis, fundamenta ieci, & eius ueritatem ſummo ſtudio patefeci, ut falſas aliorum opiniones funditus euerterem, & ne quis in poſterum cognita eius honorabili natura audeat imperitiæ cauſa rationi, uerisq; Philoſophis amplius repugnare, immo fateri cogatur, quod pro eius fine, beatitudineque ſua uera indigeat Religione, & decreto Principis, ac capitis eius. Non ſolum pius hic labor meus uiolatam Religionem Deo fauente expiabit, maculas Chriſtianæ dignitatis abſterget, omnesque res diuinas inſtaurabit, ſed etiam omnium mundi gentium falſas Religiones extirpabit, noua pietate antiquos mores recolet, inflicta uulnera ſanabit, Chriſtianæ

diſci-

diſciplinæ ſplendorem obtenebratum, atque dignitatem recuperabit, & hac tādem ueritate Gentilium Sacerdotes edocti, Hebręorum Mecubales cōuicti, & poſtremo Maumeti ſancitores moniti maiorum ſuorum fraudes ſapienter conſiderātes, & quomodo iniuſtè ſacrarum ſanctionum religionem tollant, in grauisſimamque offenſionem diuini luminis incurrant, eiectis, & expulſis eorum placitis, ac inſtitutis, & Regum, Principumque ſuorum auctoritate neglecta, & repudiata, ad diuinę legis ſtudium, charitatisque chriſtianę optima inſtituta facilè conuertentur. Et quoniam tu ſolus aliorum lucubrationum ſapiētisſimus iudex exiſtis, & omnes qui ſtudia ſua ad cōmunem utilitatem conferunt, pro uirtutis ratione decoras: ideo quantum circa inuentionem, declarationem, & ordinem rei pręſtiterim, non loquar. omittam etiam alios labores, uigiliasque meas memorare. Sufficit, quod iam Sanctitati tuę promiſi otio perſcribens luminis diuini ope, & auxilio

omnia

omnia obſcura, atque difficillima clariſſima facilitate declarare, & poſthac negotio ſi mihi impoſitum fuerit, cum eximij decoris amplitudine, Sanctiſsimiçque Religionis ornamento, ſplendore, gloriaque res ecclesiaſticas honorificè pertractare. Chriſtus Opt. Max. cuius verè Vicarius es, te cum ſumma S.R. Eccleſię Amplificatione incolumen diutiſsimè conſeruet.

Quæ in hoc volumine continentur.

Liber primus.

DE eſſe ipſius Animæ omnibus manifeſto, necnon de opinionibus, non ſolum Antiquorum, ſed etiam poſterorum de Anima, ad tria noſtra principia neceſſariò reducendis, atque colligendis. car. 1.

liber ſecundus.

De definitione Animæ Rationalis, & diſſolutione eiuſ-

eiuſdem in ſuas cauſas,& Primò de Forma corpus huma
num ſpecificante,quæ eſt cauſa materialis. car.19

liber tertius.

De Independentia,Quæ eſt forma Animæ Rationalis,
atque de Animæ Immortalitate eiuſdem formæ corollario primo. c.63
Item Digreſsio in Defenſionem Alexandri circa immortalitatem Animæ. car.94

liber quartus.

De Corollario ſecundo cauſæ Formalis,Quod eſt animarum Rationalium plurificabilitas. c.107
Item Digreſsio in defenſionem Auerrois circa vnitatem intellectus. c.113

liber quintus.

De cauſa efficiente ipſius Animæ Rationalis. Quæ eſt eius creatio a Deo. car.149
Item de Inſtantanea ipſius Animæ cum generatione corporis infuſione. car.169

liber ſextus.

De cauſa finali ipſius Animæ Rationalis.Quę eſt,Poſſe omnia cognoſcere. c.177

Liber

liber ſeptimus.

De perfectione definitionis iam explicatæ omnes quæſtiones circa ipſam contingentes reſoluente. c.214

Prima. Num ſcientia de Anima ſit nobilior, & certior cœteris ſcientijs. c.217

Secunda. Vtrum liber de Anima præcedat librum de Animalibus, vel ſit vltimus. c.220

Tertia. Vtrum phiſicus tractet de Anima, vel Metaphiſicus, vel Animaſticus. c.244

Quarta. An anima ſit in toto corpore, vel in aliqua parte corporis, vel tota in qualibet parte, & tota in toto corpore. c.227

Quinta. Num vniatur Anima Rationalis corpori mediatè, vel immediatè. c.231

Sexta. Num Anima Rationalis tali corpori humano debeat vniri, & non alio. c.234

Septima. An Anima Rationalis poſsit per ſe moueri, & præcipuè ſecundum locum. c.237

Octaua. Vtrum Anima Rationalis ſit diuiſibilis non in partes eſſentiales, ſed ſecundum quantitatem. c.238

Nona. Vtrum ſit ſeparata Anima ſecundum eſſe a corpore necne. car.240

Decima. An ſpecies intelligibiles ſint neceſſariæ ad intelligendum, & in intellectu concreatæ. car.242

Vndecima. An Ens ſit obiectum intellectus. c.244

Duodecima. An compoſitio ſit unicus actus ipſius intellectus. car.244

Decimatertia. Num intellectu ſingulare ſenſibile percipi poſsit. c.245

Decimaquarta. Num Anima ſeparata ſingularia cognoſcat. c.246

Decimaquinta. An Intellectus intelligat ſeipſũ. c.250

Decimaſexta. Num potentiæ ſenſitiuæ remaneant in anima ſeparata. c.251

Deci-

Decimaſeptima. Num Anima ſeparata a corpore poſſit intelligere. car.255
Decimaoctaua. Num Anima ſeparata poſsit intelligere ſubſtantias ſeparatas. car.267
Decimanona. Num Anima ſeparata cognoſcat omnia naturalia. car.267
Vigeſima. An vna anima ſit ſecundum ſe altera perfectior. car.268
Vigeſimaprima. Num Anima ſeparata poſsit pati, & perpetuo vexari. car.270
Vltimo declaratur fabula,& Methaphora Mercurij.&
Primò. Quare ſapientia ab Antiqs Mercurio attribuitur. 274
Secũdo. Quare ab Aſtrologis verſatilis Planeta dicatur. ibid.
Tertio. Quare à Pictoribus ita depingatur. ibid.
Quarto. Quare ab Alchimiſtis tot nominibus,ac fabulis occultetur,& tot operationibus laceretur. ibid.

F I N I S.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De eſſe ipſius Animæ omnibus manifeſto: nec non de opinionibus non ſolum Antiquorum, ſed etiam Poſterorum de Anima, ad tria noſtra principia neceſſariò reducendis, atque colligendis.

Liber Primus.

SI Antiqui philoſophi, qui ipſam animæ idæam, atque definitionem aliquo modo intellexerunt, de ipſa in publicum aliquid propalare indignũ eſſe arbitrati ſunt: & modo, ſi de ipſa loquuti fuerint, rei veritatem ambagibus quibuſdam ſub vmbra

Proponit difficultas aiæ quoad eſſentiam. tradidere, & fabulis immiſcuere Platonici, Pythagorici, cæteriq; philoſophi, nec nõ ſanæ mentis Poetæ: Quomodo nos nunc de ipſa uerba faciemus? cò magis, quod rem
Probat difficultas p multos philoſophos. honorabilem, altam, incognitam, atque difficilem aggredimur? Nam, ut ait Philoſophus in proœmio, ſpeculatio de anima, eſt bonorum honorabilium, vtilium, penitus autem, & omnino difficillimorum. cui adſtipulatur
Ariſt.
Auerr. Alexander ſecundo de Anima, dicens. Contemplatio de Anima abditisſima eſt, & hoc idem atteſtatur Auerr. diſpu. 2. in phiſicis, dicens. Sermo de Anima eſt minus profundus; & quod Deus appropriauit eum profundis in ſciẽtia. Sed quid plura? Si intentio noſtra eſt de Anima tantum rationali loqui, quomodo ſermonem inſtituemus
Philo Iudæus. noſtrum, cum dicat Philo Iudæus hæc uerba? De rationali anima, ſicut de cœlo omnia penitus incerta, ſitne corpus, ſanguis, ſpiritus, terminus, ſpecies, numerus, Endelechia, Harmonia, an quid aliud; infunditur ne, an innaſcitur, mortalis nè, an immortalis. & alia huiuſmodi. Cui
Socrates. adſtipulatur Socrates in libro de hominis natura. Delphis quoque in Templo Apollinis inſcriptum erat, Noſce teipſum. quaſi illud in primis, & cura dignum, & factu maximè difficile, atque laborioſum ſit. Tanta eſt inter illos, qui
Diſſenſio illorum qui de anima ſcripſerũt. de Anima loquuti ſunt, opinionum diſcrepantia, vt penè dixerim, neminem alteri aſſentiri, immo aliqui tantam, ac talem confuſionem videntes, auſi ſunt dicere, nihil penitus ita eſſe, ut exiſtimatur. ſed omnia circa opinionem verſari, & conſiſtere. neque poſſe intellectum, aut ſenſum penetrare vſque ad implicitam rei veritatem. ſi namque ſenſu ſtandum ſit; remus quem tu rectum putas in aqua, flexus alteri videtur: & quam tu hominis imaginem in ſpeculo dicis, Puer, & quodcunque animal uidens, hominem verum eſſe autumat. huiuſmodi cætera omnia, quæ ſenſui ſubijciuntur eſſe opinabantur. quod ſi ſenſus circa ſenſibilia manifeſtè ſibi contradicit, quid eſt, quod intellectus approbet? qui ſeipſum non agnoſcit, & de reliquis diuerſa profert, & quod ea, quæ nunquam ſenſu percipiuntur,

cipiuntur,

cipiuntur, ideſt vniuerſalia ſpeculatur. quinimmo ſi per omnia diſcurramus, inueniemus in omnibus homines, & præclaros quidem inter ſe diſſentire; at quid maius, quidque abſurdius eſt, quàm eos, qui ſe omnia cognoſcere fatentur, de ſeipſis inter ſe diſcrepare? Socrates etiam ipſe tum demum ab oraculo omnium ſapientiſsimus eſt iudicatus, cum ſe nihil ſcire palam profeſſus eſt: ſed quoniam huic ſententiæ manifeſta naturæ ratio repugnat, nos aliā ſequuti viam, dicimus reſpondentes ad ſupradicta, non occultatores, neque inuidos: ſed veritatis exploratores eſſe. & deinde omnia poſſe cognoſci affirmamus. quod ſi aliqua non ſciantur, illud ex ſcientiarum imperfectione contingere, & eatenus incomprehenſibile eſſe, quatenus id non poteſt intellectus comprehendere. Cæterum neq; Deus de ſui ipſius eſſentia ignotus eſt, quia nec a ſeipſo cognoſceretur. & quemadmodum Deus ſeipſum agnoſcit: ita etiam anima ſeipſam poteſt cognoſcere. quoniā verò ſeipſam perfectè non cognoſcit, niſi cum a corpore ſeparata eſt: ideo rectè Socrates, nihil ſcire profitebatur, hoc ſcilicet, intelligens, quod nihil ſe perfectè ſcire ſciebat; eo quod ſeipſum perfectè neſciret. & hoc ſciens merito ijs ſapientior erat, qui ſeipſos decepti non agnoſcentes, ſe ſcire cætera arbitrabantur. Si ergo omnia poſſumus cognoſcere aliquo modo, prout in hac vita cognitio dari poteſt, poſſumus etiam de ipſa Anima Rationali, ſatis exactam cognitionē tradere. Ideò relinquētes ſcholaſticam confuſionem, quæ nimium quęſtionum ſolicitudine fruſtra homines in ſingulis fatigat, & animum delicatiorem faſtidit, & plerumque nauſeam debilioribus ſtomachis parit, procedens cum terminis incognitis, & cauilloſis, breuiori modo, & veriori procedemus. & vt ait Hieronymus in proęmio Iſaiæ, hoc a faſtidioſis lectoribus precor, vt noſtra prius legant, poſtea deſpiciant, ne videantur non ex iudicio, ſed odij præſumptione ignorata damnare; quoniam ſi quid ignaris, & imperitis temerariè os in cœlum ponentibus obſcurè dictum videbitur, illud nō mihi, ſed

Intentio veritatis.

Quare reiiciuntur ſcolaſtici.

Petitio cū excuſatiōe

ſubiecto,& incapacitati ſuæ adſcribant. non enim omnia poſſunt exprimi. & ſæpe cum res in amplum extenditur, verba in anguſtum reſtringuntur; ita vt latam, & obſcuram materiam minimo, atq; obſcuriſsimo ſermone perſtringere opus ſit. quemadmodum ſecretiſsimos quoque philoſophos ſæpe, ac multum feciſſe animaduertimus. Plura enim mente clauduntur, quàm verbis poſsint reſerari. hæc igitur ſcripta erunt ſapientibus,& ijs ſolum,qui mentis compotes ſunt. eius enim naturę veritas eſt,vt paucis innoteſcere poſsit,ne detur ſanctum canibus,& porcis margaritæ proijciantur. Et ſi alij dicunt, quæ nos manifeſtabimus,hoc eſt per accidens. quoniam nullo ordine,neque methodo ſeruata omnia in confuſo proponunt. nec deinde ad propoſitum, ſed argumentandi gratia,non pro veritate dilucidanda, ſed pro opinione ſua ſuſtentanda. Nos verò ordine, methodo, & quantum rei natura expoſtulat, intentum proſequemur, & non ſolum vigilias noſtras ad communem omnium vtilitatem in medium adducemus: ſed etiam aliorum opiniones,& dicta ponderabimus, ſicut fecit omnibus in locis in ſua philoſophia Ariſto. cum Antiquis, a mente cuius,& aliorum verorum philoſophorum nunquam diſcedemus. Igitur, vt ad rem accedamus,cum Animam eſſe nemo dubitet: nam vt ait Alexan. lib. 2. de anima Cap. 1. Eſſe certè animam notiſsimum,ac maximè perſpicuum eſt: ideò de ipſius eſſe nulla fiet a nobis diligens inquiſitio. Ex eius enim operationibus,ipſius eſſe manifeſtatur. Nam videmus hominem plures exequi operationes, quas morte conſumptus edere non poteſt. ſequitur igitur, corpus ipſum huiuſmodi operationum cauſam eſſe non poſſe: ſed in corpore aliquid ineſſe, quod huiuſcemodi operationes efficiat. cum autem omnis operatio ſit accidens quoddam tranſiens, nec vnquam in ſeipſo firmè ſubſiſtens: quemadmodum ſolet eſſe quicunque motus, neceſſarium igitur eſt eſſe in corpore aliquam cauſam, quæ ſtabilis ſit, & conſtans cauſa actionum, quæ in nobis ſunt; qua præſente vita, actioque

Diuerſitas rerũ quę dicunt ab authore & alijs.

De eẽ aĩæ manifeſto. Alex.

Quõ eſſe animæ ex ipſius operationibus cognoſcit.

omnis perficiatur: quaq; decedente ſimul uita pereat, at-
que diſsipetur. quam quidem cauſam huiuſmodi Actio-
num Animam appellamus. Per figuram etiam cogno-
ſcitur eſſe Animæ. Nam Plantæ, Animalia, ac herbæ diuer-
ſis partium figuris ornantur, cũ omnia ſint heterogenea:
reliqua uerò uniformem ſortiuntur figuram. Vnde colli-
gi poteſt, alterius eſſe generis illas forma, atq; ad alias or-
dinare operationes, talesq; animæ uocãtur. Præterea co-
gnitio ducit nos in cognitionem animæ, cum talis pro-
cedat a forma, aliter omnia materialia cognoſcerent, &
tale genus formarum diuerſum eſt ab alijs, & hoc uoca-
tur anima. Per motum etiam cognoſcitur Anima, ideo
Ariſt. 1. de Anima text. 19. dicit, omnes philoſophos per
motum & cognitionem animam inquiſiuiſſe. Et quam-
uis Crates Thebanus nullam eſſe in animantibus motri-
cem ſubſtantiam, uel animam præter naturam faſſus ſit,
& corpora ſic a natura moueri, dicendum hanc opinionẽ
eſſe inſanam, ſi ut traditur, exponatur. neceſſe eſt enim, ſi
eadẽ, & ſola natura omne corpus mouet, ſemper omnia
eodem modo moueri, quod falſum penitus eſt. Verũ non
puto eos, quos ueneranda uetuſtas philoſophos nomina-
uit, tales ineptias unquã dixiſſe, ſed forſan uoluit per hoc
Crates innuere, quod apertè fatentur Cicero, Seneca, at-
que Lactantius, qui neſciẽtes animam an ſenſu, uel ratio
ne, uel intellectu definire deberent; dixerunt quid Ani-
ma ſit, penitus ſe ignorare, niſi fortè cum Antiquis animã
mundi eſſe uoluerunt, quam naturam eſſe dixerunt, quæ
cœleſtium influxu cuncta uiuificat, mouet, atque diſpo-
nit. uel potius uoluit Crates dicere, Animam non aliud
eſſe, quàm naturalem quandam harmoniam, ſeu harmo-
nicam naturam, quæ in animalibus ſita eſt, quod & mul-
tos alios ſenſiſſe teſtatur Ariſto. quorum opiniones ſuo
loco oſtendemus. Ita quod omnes faſsi ſunt dari Ani-
mam. & quoniam de uegetatiua, atque ſenſitiua certam,
& manifeſtam apud philoſophos cognitionẽ habemus,
de Rationali incertã, & dubiã propter uarias, & infinitas

Per figurã eſſe animæ cognoſcit.

Per cognitionem eẽ aię cõprehendimus

Per motũ antiqui animam indagarunt.

Opi. Cratis Thebani circa eſſe animæ.

Dãnatur ad literã.

Defenſio ꝓ prio Crate Thebano.

Cice. } qd
Sene. } de
Lact. } aia

Alia defenſio ꝓ Crate Thebã.

Tertia defenſio.

opi,ideò,vt diximus,de iſtâ tantū alijs relictis ſermōnē in ſtituemus . & quoniam ut ait Plotinus, de dubijs ani. 1. quartæ En 3.de nulla re diligentius eſt agendum, quàm de Anima:ideò pro viribus conabimur omnia cura, atq; diligentia maxima pertractare.& ne uni adhærens, alios philoſophos reijcere, neceſsitate quadā cogamur, iactis quibuſdam noſtris principijs neceſſariis, veris, per ſe, & impoſsibile aliter ſe habentibus,oſtendemus, ad quē veritatis gradum omnes, qui de Anima loquuti ſunt Antiqui philoſophi peruenerunt;ſed ante omnia proponētes, neminem hanc veritatem, quam ego de Anima tradam, hoc modo hucuſque attigiſſe; aut melius in futurum attingere poſſe.cum omnes,qui de Anima loquuti ſunt; & loqui poſt hac voluerint,ſub noſtris principijs cadere cogātur:alia enim principia, niſi chimerica, & imaginaria ſint,dari non poſſunt. Certè quod hoc videtur quid magnum,abſonum,incredibile,atque mirabile: tamen hæc eſt illa veritas,quæ a nullo vnquam philoſopho ſic tractata,intellecta,conſiderata,atque ſcripta fuit.

Quid Plotinus de anima.

Incipientes igitur dicimus, quod omnis philoſophandi modus,vt alibi diximus,aut per ſenſum, aut rationem, aut intellectum neceſſario fit; nec plures, aut pauciores philoſophandi modos nec inuenire, nec excogitare, nec habere poſſumus.quoniam homo in omnium inueſtigatione tribus vtitur,ſenſu,ratione,& intellectu.quæ correſpondēt Menti,Animæ,& Corpori. Nam,quemadmodū in mundo aliquid eſt,quod eſt magis mens,quàm anima, & corpus vt intelligentiæ; aliquid magis anima quàm mens, aut corpus vt cœlum, aliquid quod magis eſt corpus quàm anima,vel mens,vt omnia mortalia, ita hominum contemplantium aliqui magis intellectu, quàm ratione,vel ſenſu dicuntur;aliqui magis ratione,quā mente,vel ſenſu vigent.alij verò plus ſenſui adhęrent,quā uel rationi,uel menti. Variantur aliquando hæ diſpoſitiones in multis, quod poſſunt aliquando ad vnam, & alteram philoſophādi viam concitari.ſed nos loquimur vt in plurimum,

In quo cōſiſtat omnis philoſophandi modus.

Tribus utitur homo in oīum inueſtigatione principiis.

Explicatio trium principiorum.

rimum,ideò aliqui ſenſuales aliquando quædam rationa lia,& mentalia dixerunt,ſed raro,& ſic verſa vice. Vnde ſenſibilia omnia per rationem deſtruuntur,deinde,& rationabilia per intellectum,ita vt quod ſenſus principium ponit, principiatũ, vt ita dicam, ratio eſſe conuincat. & quod ratio principium dicit, intellectus principiatũ eſſe euidenter demõſtret. Senſus enim circa rerum eſſentias, eſt veluti cœcus,& ſurdus circa lucem.ratio autem veluti cœcus audiens.ac intellectus ut uidens, & audiens.qd, obſecro,ſenſibilium omnium cognitio iuuabit, niſi ex uiſibilibus ad inuiſibilia, & ſempiternam ueritatem, & diuinitatem erigamur?

Comparatio principiorum ad quædã ſenſata.

Intellectus enim eſt in primo gradu,poſt ueritatem. unde ea,quæ affirmat, licet non ſint ueritas; ſunt tamẽ uera quantũ ueritas in intellectu deſcendens poteſt reſplendere.ideò bene Theophraſtus dicit. In intellectu non contingere hallucinationem,quia palpante, ac ueluti attingente mẽte eius eſt ſpeculatio.Nã intellectualis cognitio eſt apprehenſio rei ut eſt,nõ quidem præciſe,ſed, ut dixi, ſecundum eſſe intellectuale,& ſimilitudinem abſque diſcurſu ſicut uiſio. dico autem intellectum non attingere præciſionem rei,quia eſt inattingibilis,& ſoli ſibi ipſi cognita alioqui attingit intrinſecè, quantum poteſt ab alio attingi.intellectus enim dicitur quaſi intus legere.& hoc eſt,quod dico,primus modus intelligendi ueritatem.Ratio autem eſt poſt intellectus ſplendorem.idcirco quæ ipſa dicit nedum non ſunt ueritas,ſed neque uera. uero aũt maximè ſimilia ideò dicitur,quod ratiocinatio eſt oratio ex duabus,uel pluribus propoſitionibus, aliquid aliud inferẽs.Vnde poteſt eſſe uera,& falſa,cum propoſitio, ideſt affirmatio poſsit eſſe uera,& falſa. quoniã ratio nihil concipit, niſi in errore imaginationis componentis. ut cum fingit chimeram,& alia huiuſmodi,quæ falſa ſunt, etiam quoad rationem, nedum quoad ſenſum, & intellectum, qui error non contingit in abſtractione, & in intellectu, quoniam comprehendit uerum, ideo dictum eſt abſtra-

Dignitas intellect' & declaratio ipſius.

Quid The. de principio intellectiuo.

Declaratio pricipii rationalis.

hentium non eſſe mendacium,& ſic dicimus,quod rationis cognitio eſt apprehenſio rei in eſſe vniuerſali cum diſcurſu. Quanquam enim intellectus cognoſcit ordinatè vnam rem poſt aliam,ſicut eſt,vt mixta poſt elemẽta; hæc poſt cœlos,hos poſt intelligentias : tamen non cognoſcit hoc cum diſcurſu,ſed ī ſimplici viſione, & intuitu ſimul, & ſemel. & ſi ego videam arborem, poſt quem ſit Equus, poſt equum ſit aſinus,video hæc tria,& cognoſco eorum ſucceſsionem, ſed non video ſucceſsiuè, quia viſio eſt in inſtanti tam citò pertingens ad aſinum,quàm ad arborẽ; & ſic proportionabiliter eſt cognitio intellectus.rationis autem, ſi viderem primò arborem, deinde per arborem equum,& per hunc aſinum. Duæ igitur ſunt differentiæ inter cognitionem rationalem,& intellectualem. vna eſt ſucceſsio,ſeu diſcurſus:altera eſt ipſa diuerſitas rei cognitæ,in vtraque cognitione. Senſus cognitio eſt apprehenſio rei in particulari tanquam in effectu diuiſo, & participato.Et ſi quis diceret, non intelligo comprehenſionem intellectus,quã ponis,dico,vt inquit Martianus qđ oportet euomere circulos,& ſphæras, qui ad veritatem intellectus vult peruenire.vel de eo dicerem,quod Dyogeni Cynico,ideas ſe videre neganti,cum ſenſibilia videret,reſpõdit Plato,eum,ſcilicet mentè non vti, qua ſola huiuſmodi cernuntur. Dico enim,quod ſicut vna facies in multis ſpeculis apparet, ſecundum eorum diſpoſitionem varia, ita veritas in intellectu,ratione,& ſenſu variè lucet. Et ſi quis adhuc diceret,hæc non ſunt philoſophica, Tu nõ es philoſophus,Blatterent ignari ratione, & mente carẽtes, quantum velint,quoniam hæc ſunt philoſophica, ſed nõ ſenſualia,vt ipſi ſunt.Non ne dicit Ariſt. quod intellectus intelligit indiuiſibilia?nõ nè idem ſecundo poſt.& 6.eth. c.6.dicit,quod principiorum eſt intellectus?& quod intellectus circa principia,& vniuerſalia quæ æterna, immutabilia ,& neceſſaria ſunt verſatur? ſed quid eſt indiuiſibilia apprehẽdere,principia cognoſcere, vniuerſalia abſtrahere,æterna conſiderare,immutabilia intueri,& neceſſaria

Duę differentię inter cognitionẽ rationalem,& intellectualem.

Prima. Secunda.

Declaratio principii ſenſualis.

Alia rñſio cũ Platone.

Alia explicatio ſupra dictorum principiorum.

Obiectio.

Reſponſio cũ Ariſto.

ria diiudicare? niſi quæ ſunt vera cognoſcere. Non nè dicit Ariſt. quod opinio dicitur vera, & falſa? ſed quis fabricabit opinionem? non intellectus, quoniam in ipſo, vt ait philoſophus, non cadit falſitas. non ſenſus, quoniam non componit, neque diuidit, neque particulariter diſcurrit. ergo ratio fabricabit opinionem. ergo non apprehendit verum, vt intellectus, ſed imaginem veri, & veriſimile. & meritò, quoniam ratio cum ſit media inter intellectum, & ſenſum, cum partim circa vniuerſalia, & partim circa particularia verſetur, poteſt, & verũ ratione intellectus, & falſum ratione ſenſus apprehendere. Senſus autem cum circa particularia & accidentia perambulet, multoties decipitur, & nihil ueri, neque ueriſimile, ſed per coniecturam omnia diiudicat. Præterea Ariſto. text. xxvij. primi de anima, nonnè habet hæc uerba? Iudicantur autẽ res aliæ quidem intellectu aliæ verò ſcientia, aliæ aſit opinione. aliæ vero ſenſu. Nonnè hic ponit quattuor genera rerum cognoſcibilium? Quædam ſunt puræ intelligibiles, puta quæ ſine diſcurſu aliquo cognoſcuntur: quales res immaterialis, & principia per ſe nota. & his reſpondet cognitio in anima, quæ dicitur intellectus. Sunt res, quæ cum diſcurſu fiunt, quibus reſpondet cognitio, quæ ſcientia dicitur: quoniam ſcientia eſt per diſcurſum; ſicut ſapientia per intellectum. & hoc comprehendit ratio, quædam ſunt res in conſtantes, quæ cùm ſint opinabiles, his reſpondet cognitio, quæ dicitur opinio. & hæc cognitio quæ dicitur media inter rationem, & ſenſum, uerſatur circa probabilia, non habẽs intentionem veritatis vnquàm. ratio habet iutentionem ueritatis, ſed poteſt concludere falſitatem. Topicus uerò, qui uerſatur circa probabilia, nõ habet intentionem comprobandi ueritatem, ſed & ueritatem, & falſitatem, quãdo uult oſtendere eſſe probabilem. Quædam aliæ ſunt ſenſibilia ſingularia, & horum eſt ſenſus. Ecce quomodo Ariſt. diſtinguit ſenſum a ratione, & intellectu. immò etiam ſenſum ab imaginatione, & imaginationem a ratione. ſed quoniam quæ ab ima-

Ari. 27. primi de ani. ponit differẽtiam ſenſus rõnis, & intellectus.

imaginatione comprehenduntur, ſunt opinabilia, & per ſenſum cognoſcibilia: ideò ipſa ſub ſenſu poſuimus.

Ariſt. tex. 127. 2. de aia ponit differentiã eum eandem.

Præterea ex tex. 152. ſecundi de anima elicitur differentia intellectus, rationis, & ſenſus, dicit enim, quod intelligere ſine diſcurſu, quod appellat ſapere, ineſt paucis animalibus, quia homini tantum: & intelligere cum diſcurſu, quod eſt ratio, eſt modo cum vero, modò cum falſo, & verſatur circa ſcientiam, & prudentiam, & opinionem. quæ omnia habent oppoſita, ſed intellectus circa ſapientiam, ſenſus verò ineſt etiam non habentibus rationem.

Q̃ꝺo intellectus authoritati nō aſſentit

Vnde ex dictis quippe elicere poteſt quod intellectus noſter, nō cogitur ad credēdum, vi rationum: alioquin eſſet ſciētia, vel opinio, ſed mouetur ſolum authoritate; & hoc quia vult ei aſſentire, & credere: quod quidem Doctores appellant piam affectionem. & Ariſt. fidem in prioribus, cum dixerit qui fidem habet, melius eſt diſpoſitus, quàm ſciens, quod Ioan. Grammaticus exponit melius eſt agnoſcere per fidē, quàm per demōſtrationem, ſcilicet melius per intellectum, quàm per rationem. Principia igitur noſtra non tantum ſunt realia, quantū philoſophica, & qui ea negare vult, negabit ſeipſum.

Q̃ꝺo veritas vna, & diuerſa appareat.

Ita quod dicimus, quod veritas ſemper vna, & eadem eſt; ſed ratione ſubiecti, & aliorum reſpectuum diuerſa apparet alio modo enim, vt diximus, ab intellectu apprehenditur, alio modo a ratione, & alio modo a ſenſu. Vnde non ratione ſui, cum ſemper eadem ſit, & vna, ſed ratione ſuſcipientium diuerſimode apparet.

Abucatē in lib. de cau.

Omnia enim ſuſcipiuntur, ſecundum naturam recipientis, vt eſt vulgata Regula Abucaten in libro de cauſis; quamobrem intelligentiæ, Deus, & anima variè idem intelligunt. pariter intelligentiarum aliter prima, aliter ſecunda, & animarum ſecus hæc, atque illa.

Modus pcedēdi Ariſto. & Pla. mod' philoſophãdi ſapiētum.

Et ideò licet idem duo ſciant, ac ſentiant, non tamen eodem penitus modo dicent; ac etiam quandoque contrario modo procedentes, idem innuent, ut Ariſtot. qui res contemplatur, incipiens a ſenſu, & aſcendens, ac Plato incipiens a maximè intelligibilibus, & deſcendens ad ſenſibilia.

bilia. Inde fit, vt non tam variæ fuerint in re una ſententiæ, quam in multis eadem diuerſimodè. egerunt enim philoſophi omnes de eiſdem, ac ſæpe eadem, non dico ſemper, quoniam interdum aliqui in aliquibus errarunt, ſed raro eodem modo. hinc ſuper eadem re infinitæ digladiationes, hinc numerus infinitus ſcriptorũ, & hinc deniq; omnium rerum, quæ ſenſu, ratione, & intellectu comprehendi poſſunt diuerſitates, atq; contrarietates. Sic philoſophi loquentes de Anima, diuerſimodè loquuti ſunt; quamuis una ſola de Anima ueritas ſit. Nam tam illi, qui reſpectu ſuæ capacitatis, & intellectionis, quam illi, qui reſpectu aliorum tanquã ſapientes accõmodantes ſe temporibus, occaſionibus, hominũ capacitatibus, aliorumq; accidentibus, de Anima, aut modo ſenſibili, aut modo rationabili, aut modo intelligibili loquuti fuerunt. & ut ueritatem hanc ita eſſe manifeſtemus, antequã ad propoſitum noſtrum deueniamus, oẽs antiquorũ de Anima opiniones, cum ipſi de Anima humana loquuti fuerint, ut teſtatur Ariſto. in proœmio de Anima, ſub iam dictis tribus principijs noſtris, in omni uera uia rectè philoſophãdi neceſſarijs collocabimus, tanquam quædam lumina ad ueritatem de anima conferentia. quæ opiniones ab ignaris non fuerunt intellectæ, & a malitioſis dãnatæ non reddentes rõnem ſuarum poſitionũ, & modi ſui philoſophãdi. Multi. n. more pedagogorũ, philoſophorũ calũniatores ſunt, & cuncta antiquorũ deturpãt, labefaciũt, lacerãt, & utpotè pſtigiatores, atq; Venefici dialecticis qbuſdã philtris, atq; collyriis, hoĩum mentes faſcinant: ſed tñ nõ ita, ut q luminis integri ſunt, eius quoq; figmenta, atq; (ut uerum fatear) deliramenta non perſpiciant. Sed ad negocium noſtrũ ueniamus. Qui uero philoſophorũ ſenſum ſequuti ſunt, aliqui uidentes, quod Anima uitã homini præſtabat. & quod calor erat uitæ dator, quoniã per ipſum omnia producuntur, augentur, ac uiuunt, ſicut per experientiam uidemus: quod calor ſolis omnia uiuificat: ideo dixerunt Animam eſſe ſpiritum calidum, & ex elementorũ compo-

Vnde naſcatur multitudo opi. & contentionum.

Quod modis q ſcripſerunt de aĩa, ipſam comprehẽdere potuerunt.

Quid faciant calũniatores philoſophorum.

Opi. philoſophorum ſẽſualium de anima, quid infra ſcripti philo. dixerũt animã eſſe

compoſitione reſultantem, & huius opinionis fuerũt Zeno, Cleantes, Antipater, Hipparcus, & Leucippus, quibus quodammodo conſentiunt Stoici dicẽtes, Animam eſſe ſpiritum feruidum: ac Democritus dicens eſſe ſpiritum mobilem, & ignitum atomis inſertum; quibus etiam adhæret Galenus Pergamenus, dicens, Animã eſſe calorẽ, ſeu complexionem calidam, illo inſuper addito, quod ſingulis corporis partibus, ſingulas ineſſe animas credidit, omneſque mortales. Alij autem uidentes, quod homo ſine anhelitu ſtare non poterat, & quod aer præbebat cauſam homini, anhelandi, ideò animam aerẽ eſſe dixerunt, ſicut Anaxagoras, Anaximenes, Critias, Diogenes Cynicus, & Pythagoreorum nonnulli. Vnde varro ſequẽs opinionem iſtorum dixit, quod Anima eſt aer conceptus in ore, deferuefactus in pulmone, temperatus in corde, diffuſus in corpus. Hippias uerò, eo quod ſemẽ aqueum ſit, & in humido uitæ ſtet radix, ideo animam aquam eſſe ratus eſt. Quid Heſiodus, Pronopides, Anaximander, & Thales? Nonne animam terram eſſe dixerũt, ob extrinſecum terræ opus, quia ipſa producit omnia, quibus animal uiuit? Ex eiſdem cauſis Epicurus, & Boethus Animam ex aere, & igne conflarunt, Xenophanes ex terra, & aqua, Parmenides ex terra, & igne; qui omnes non tantum vnam ſenſibilem cauſam animaduertunt, ſed duas. ideo ex duabus rebus animam ipſam conſtituerunt. Et alij horũ omnium ſententias affirmantes, ijſque non parum addẽtes, dixerunt Animam eſſe ignem, aerem, aquam, & terrã. & inſuper ex his compoſitum: quoniam totum compoſitum uidebant animatum, & clarè mentem ſuam explicãtes, ſanguinem eſſe dixerunt. & huius opinionis Empedoclem eſſe ferunt. quoniam emiſſo ſanguine, homo moritur; ita quod forſan omnes iſti doctrina, & intelligentia conſummatiſsimi ſecũdum hominum ſenſualiũ capacitatẽ philoſophiam tradidere, & pro ſubiecto materiali, ſenſibilique accidente quod eſt formale, & ſubſtantiale intelligebant. Ariſt. uerò text. 32. in primo de Anima, lo-

Zeno
Cleantes
Antipater.
Hipparcus
Leucippus
Stoici.
opi. Dem.
opi. Gale.
opi. Anax.
Anaxime.
Critiæ.
Diog. cin.
& quorundam Pytagor.
opi. Varr.
op. Hippię
opi. Heſio.
Pronopi.
Anaximã.
& Thalet.
op. Epicu.
Boethi.
Xenopha.
Parmeni.
opi. Empedoclis.
Defenſio philoſoforum ſupra dictorum facta ab authore.

quens

quens de opinionibus iſtorum, qui ſenſum ſequuti ſunt, cum incipit narrare opinionem Hippaci dicit, magis autem grauium quidam, & aquam exiſtimauerunt, ut Hippon, ſcilicet quidam magis ſenſatus aliorum, dicit animã eſſe aquam. Vnde comparat per illud magis ad alios, qui poſuerunt vel ignem, vel aerem. ita quod fatetur Ariſtot. iſtos philoſophos fuiſſe graues, & ſenſatos, & vnus plus altero. Præterea dicit Tex. 32. quod omnia elementa habuerunt ſuos aſſertores, quoniam philoſophi ſenſati non trãſcenderunt elementa, quæ ſunt principia ſenſibilia. Præterea dicit Text. 33. Vt igitur in ſummam omnia redigamus, tribus his omnes animam motu, ſenſu, incorporeoque definiunt. quorum vnumquodque reducitur ad ſua rerum principia, ut patuit. per incorporeum intelligit res ſubtilisſimas, vel atomos, vel ignem ſpiritualisſimum: & ſic omnes per ſenſum, definierunt animam. *Confirmatio ſupradictorum p Ariſt.*

Quid magis ſenſatum ipſo motu?

Qui vero rationem ſequuti ſunt, diſcurrentes animam non eſſe neque ignem, neque aerem, neque aquam, neq; aliquod elemẽtorum, neque ex his compoſitum, ſed quid diſtinctum ab his, per omnes partes corporis permeans, dixerunt eſſe quintam eſſentiam, & de natura cœli, cum cœlum, teſte Ariſt. ſit vbique quemadmodum anima. Cuius opinionis fuit Critolaus Peripateticus, cui aſſentire videtur Dicearcus Miſenius, qui dixit animam eſſe vim quandam, atque potentiam æqualiter fuſam, tam in corporibus brutorum, quàm hominum: ſed quid aliud hæc vis, quàm anima illa mundi, vel cœleſtis, de qua loquuti ſunt Philoſophi? & quid hæc anima mundi, niſi Quinta illa eſſentia Ariſt. & cœlum, quod vbique eſt cuncta viuificans? Quod idem videtur atteſtari Hippocrates, & Xenon, cum dicant animam eſſe ſpiritum tenuẽ per corpus omne diffuſum. Ariſtoteles verò quid dicit, cum ſit princeps illorum, qui circa rationem verſati ſunt? ipſe enim videns animam eſſe nobiliorem corpore ipſo, & ipſum informare rationibus fortisſimis, hoc comprobans, ipſam appellauit *opi. philoſophorũ rõnabilium.* *opi. Critolai peripatetici.* *Dicearcus Miſenius.* *Hippocra. Xenon. Ariſto.*

uit

Via Ariſt. circa ſuam philoſoph.

uit Εντελεχειαν, ſeu perfectionem corporis naturalis potẽtia vitam habentis. Vnde ſagax iſte philoſophus, inſequens in ſua philoſophia viam rationis, vt potè magis nobis certiorem, & ſcientificis manifeſtam, cum media ſit, deſtruxit omnes Antiquorum opiniones, tam quæ verſabantur circa ſenſum, quàm quæ circa intellectum. Nam quod ſenſus ædificat, vt diximus, ratio deſtruere poteſt. & quoniam quod ratio comprobat, ab intellectu poteſt negari:

Quare Theologi ſunt cõtra Ari.

ideo Theologi ſapientisſimi verè intellectuales, ẽt ipſi Ariſto. opinionem, & aliorum rationis viam inſequentiũ damnauerunt. quoniam ex Theophol. li. de Met. c. 8. qui rationem in omnibus quæritant, ſemel cum ratione ſciẽtiam tollunt, & ideò repugnantes omnino rationi Platonem, & Ariſto. improbant, ut damnatos, Hieronymus ſuper Eccleſ. & Aug ſuper Pſal. 160. & in vniuerſum philoſophos in libro de Verbis Apoſtoli, & alibi.

Reprobatur Ar. a Hiero. & Aug. & ſimiliter Plato & quare.

Error illorũ q ſupra ſenſum, & rõnem nõ cõſcẽdunt.

Verum eſt, quod philoſophi, qui ſenſu, & ratione tantum vtuntur, nolentes iſtorum limites egredi, per ſenſibilia, aut vniuerſalia phantaſmata tantum vagantes, non optatum finẽ adipiſcuntur, ſed potius aberrantes a ſcopo, falſa concludũt. Inde eſt, quod ij, quos philoſophos, & ſapientes nominãt, & qui ſe tales iactant, ſi rationibus ſuis inſiſtant, impij ſunt, & hæretici, atque cum cœci ſint, non aduertunt. ſed quemadmodum qui corporeis oculis priuatus eſt, magis putat ſe ſcire quid ſit lumen ſolis, & ſol ex auditu, quàm videns ex viſu, qui ſe illud intueri, & cognoſcere non poſſe perſpicit. Itaque illi cum ſibi ipſis perſuadeant in comprehenſibilis veritatis cognitionem, ignari magis ſunt, quàm qui ſe veritatem comprehendere non poſſe comprehendunt. quam ob rem rectè dicitur, Deum perdidiſſe ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobaſſe.

opi. philoſophorum rõnabiliũ.

opi. philoſophorũ in telectualiũ

Zoroaſtes. Triſmeg. Orpheus. Aglaophi.

Qui verò intellectum ſequuti ſunt relicta ratione ſimplici intelligentia animam deſcripſerunt, tanquam rem intelligibilem, abſtractam, atque diuinam. Ideò Zoroaſtes, Hermes Triſmegiſtus, Orpheus, Aglaophemus, Py-

thagoras,

thagoras, Eumenius, Plutarchus, Porphyrius, Tymeus Locrus dixerunt animam eſſe diuinam quandam ſubſtantiam totam, ac indiuiduam, ac toto, ac cuique corporis parti præſentem, ab incorporeo Authore taliter productam, ut ex ſola agentis virtute, non ex materiæ gremio dependeat. Poſſidonius verò animam eſſe Idęam dixit, eo quod hominis eſſentia ſit, vera forma, diuinaque ſubſtantia: non illam Idæam imaginariam, quam aliqui Platoni attribuunt, ut ipſum inuehere poſſint; ſed veram formā, & ſubſtantiam, quam declarare ad præſens non eſt ad propoſitum. Quid Philolaus? Non nè dixit animam eſſe diuinam harmoniam? Quid Heraclitus, Chryſippus, & Archilaus? Non nè animam vocauerunt lucem incorpoream? Sed quid eſt hæc lux? non nè lux incorporea apud mentis participes dicitur diuina quæque ſubſtantia, eo quod a patre luminum dependet? Idem Caſſiodorus in ſuo de Anima libro, eius ſubſtantiam lumen eſſe cōſtanter ait. Quid Chaldei? non ne inquirūt eſſe animam virtutem, abſque determinata forma, omnes tamen exteras ſuſcipientem? Sed talem virtutem quis cognoſcere poteſt, niſi intellectus? Eunomius verò Epiſcopus partim rationi adhærens, & partem intellectui cōſentiens, definit animam eſſe ſubſtantiam incorpoream, in corpore factam. Quid Pythagoras, & Plato de anima dixerunt, qui fuerunt ſapientiſſimi philoſophi? Non ne dixerunt animam eſſe numerum ſeipſum mouentem? quibus videntur aſſentire Thales Mileſius, qui animam eſſe naturam irrequietam ſeſe mouentē dixit. & Aegyptij, atque Xenocrates, qui eam numerum ſeſe mouentem, & uim quandam in omnia corpora tranſmeantem. Quid Ariſtoxenes, Colofonius, & Aſclepiades? Non nè dixerunt animam eſſe harmoniam quandam & omnium ſenſuum conſonum ſibi exercitium? Iſti omnes fuerunt profundiſſimi philoſophi ſupra rationem philoſophantes. Sed tamen Ariſto. nolens capacitatem hominum rationabilium tranſcendere, & forſan philoſophiæ ſecreta propalare, decem ſua prædicamenta rationalia fabricauit,

Pytag.
Eumenius.
Plutarcus.
Porphyr.
Tymeus locrus.
Poſſidonius
Philolaus
Heraclit.
Chryſip.
Archelaus
Caſſiodor.
Chaldei.
Eunomius
Pythagor.
Plato.
Thales Mileſius
Aegypti
Xenocrat.
Ariſtoxen.
Colofonius
Aſclepiad.

bricauit, ſub quib. omnes antiquorum opiniones poſuit, & cum quibus totam ſuam philoſophiam fabricauit, & declarauit. Vnde has ultimas opiniones in numero prædicamentorum accidentalium repoſuit: iſtam verò ſub prędicamento qualitatis, & illam ſub prædicamento quantitatis. & ſic illas redarguit, ſed non eſt credendum, iſtos ſapientisſimos philoſophos ignoraſſe differentiam ſubſtantiæ ab accidente, cum de arcanis philoſophiæ multa dignè ſcripſerint. nec etiam dicendum eſt, hæc a caſu ſcripſiſſe, quoniā intellectuales fuere, de qua via intellectuali Ariſt. Auer. & alij rationales, ut oſtēdemus, occultè, & quibuſdam propoſitis, multis in locis, a multis non lectis, nec intellectis, loquuti fuerunt. Ideò quando antiqui dixerūt, animam eſſe numerum, non numerum de prædicamento quantitatis intelligebant; ſed ſubſtantiam. quoniam Deo attribuebant vnitatem, Menti Dyadem, Animæ Tryadē, corporique Tetractin, & Ternarium propriè primum numerum appellabant. Dyadem non appellabant propriè numerum, quia in ipſa illæ duæ vnitates non habebant, vnde copularentur. & quia animam componebant ipſi ex eo, quod ſemper idem eſt, & ex altero quod ſemper mutatur, mediaque natura vtriuſque vinculo termini quæ mētem corpori annectit, ideò Numerum Ternarium eam eſſe dicebant. & ad differentiam poſtea corporis dicebant eſſe ſeſe mouentem; ita quod intellectualiter per numeros formales, animam definierunt. Similiter qui dixerunt eſſe ipſam animam Harmoniam, nō intellexerunt de harmonia, quæ ex varijs cordis ritè contemperatis reſultat. quoniam animam non ex ſenſibus oriri dicebant, ſed e conuerſo. Intelligebant enim de illa Harmonia, quæ varia inſtrumenta cōcinnit, atque concordat. Non ne Ariſt. qui ipſos rationabiliter damnauit, dicit, quod anima eſt actus corporis phiſici organici? huius quidem corporis non ne ſunt plura organa, & inſtrumenta, quæ in vnum facit conſpirare ipſa anima? Videatis igitur, quomodo anima ſit eſſentia harmonica: ideò ipſi ſecūdum ſua principia

Defenſio antiquorū. Qūo aīa ſit numerus.

Qūo aīa dicatur harmonia.

cipia

cipia philoſophantes, videntes, quod ex heate, & Hypate .i. graui, & octaua voce, cum media, puta quinta concordata fiebat harmonia: & quod ex eodem, & altero, cum media natura, vt diximus, compoſito reſultabat vna ſubſtantia ritè conſonans, & perfecta, quam animam appellant; ideò ipſam Armoniam dixerunt. Et ſic reijciuntur tot diſtinctiones Franciſci Toleti. de conſonantijs muſicalibus, in primo de Anima, Tex. 43. vbi conatur oſtendere, quomodo ſecūdum Platonem anima componitur ex harmonijs, quoniam veritas, quam explicaui, eſt breuis, lucida, & omni intelligenti rationabilis, & poſtea ad mentem Platonis, & Platonicorum abſque tanta multitudine, & conſideratione numerorum, & conſonantium. Ecce quomodo ſecundum viam intellectus, expoſuimus illas antiquorum opiniones, quæ ab Ariſt. ſecundum viam rationis procedente, fuerunt reprobatæ. Omitto opiniones Iamblici, Plotini, Procli, Xiſti, & aliorum philoſophorum: quoniam ſequuti ſunt ſuos præceptores Platonicos, & Pythagoricos. ſatis eſt, quod omnesq; philoſophos ſub noſtris principijs æque, & bene collocauimus, & eorum intentiones, quantum huic propoſito conuenit, ſatis dilucidanimus. qui omnes, quoniam ſolo lumine naturali philoſophati ſunt. ideò imperfectè, & nō ad plenum, quāuis doctisſimè, de Anima ſcripſerunt. Verum eſtq; quod qui dixerunt animam eſſe ſubſtantiam diuinam, indiuiſibilem, immortalem, mentis participem, aptam corporis gubernatricem, tantò reliquis pręſtiterunt: quāto beſtias homines excellunt. nam & ſeipſos agnouerunt, & a beſtijs hominem longè ſepararunt. illi autem qui alio modo, cum homines eſſent, ſe in beſtiarum numerum contulerunt. Si igitur intellectuales veritatem, tanquam verum quoddam cognouerunt, & deſcripſerunt. Rationales tanquam veriſimile, & ſenſuales tanquam quid corruptum, & a veriſimilitudine cadens. Intellectuales inſpexerunt res per ſuum proprium eſſe: Rationales per ſpeculum, & ſenſuales per vmbram. Si ergo a nobis hucuſque

Reijcitur Toletus.

Iamblicus. Plotinus. Proclus. Xiſtus.

Imperfectio philoſoforum.

Cōprobatio philoſophorum inter ſe.

cuſque manifeſtata fuerint tria principia realia, quæ ab omnibus conceduntur, & ſub quibus omnis ars, omnis ſcientia, & philoſophandi modus neceſſario collocantur. Valeat igitur Raimũdi ars chimerica, Iulij Camilli Theatrum depictum, & Ioannis Pici prædicamentum, aliorumque omnium fictitia. Noſtra autem principia ſunt nobis congenita, ſenſatis enim ſatisfaciunt, prudentibus, & rationabilibus conferunt, ſapientibus, & intellectualib. lumen tribuunt. Hæc demonſtrant diuerſitatem ſciendi, hæc perfectionem, & imperfectionem ſcientiarum, & artium. & hæc denique, ad quem gradum homo lumine naturali aſcendere poteſt, & ad quem gradum ſcientiæ quiſque antiquorum peruenit, & quiſque, ſi poſthac ſcribet, peruenerit. Scribant alij quantum velint omnis ſua doctrina ad hæc tria reducenda erit. Talis, & tanta iſtorum principiorum colligantia eſt, quod vnum ſine altero eſſe non poteſt. Quid quæſo intellectus, niſi ratio perfecta, & quid ratio, niſi ſenſus perfectus, & e contra quid ſenſus, niſi ratio imperfecta, & ratio intellectus imperfectus? Vnde ſicut ratio explicat intellectum, ita ſenſus rationem & e contra, ſicut intellectus virtute continet rationem, ita ratio ſenſum. Si ergo vtentur ſapientes iſtis principijs, ad dilucidandam veritatem vnicuique ſecũdum eius capacitatem, cum purè naturalibus per ſenſibilia philoſophantes, cum diſcurſiuis rationem ſequentes, & cum contemplatiuis ſpeculantes, facile naturales ad rationem trahere poterunt, & rationales ad intellectum, quo acquiſito homo deinde lumine diuino adiutus in altum conſcendere poteſt, & illam fœlicitatem, quam in fine declarabimus, adipiſci. Et hæc ſatis, quoad hanc primam partem.

De

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De definitione Animæ Rationalis, & diſſolutione eiuſdem in ſuas cauſas, & primo de forma corpus humanum ſpecificante, quæ eſt cauſa materialis.

Liber Secundus.

CVM iam declaratum ſit ſermonem de Anima quoad eſſentiam, quid difficillimum apud omnes ſcriptores, atque ſapientes eſſe, & quoad ſi eſt quoddam notum, omnibuſque manifeſtum: cumque etiam demonſtratum ſit, non ſolum omnes antiquorum, ſed etiam poſterorum de Anima opiniones ſub tribus no- Epilogus ſupradicti libri.

ſtris principijs] neceſſario collocare debere ; cum illa nullus effugere poſſet. & quomodo omnes antiqui philoſophi diuerſimodè, atque imperfectè eandem de Anima veritatem attigerunt, ſenſuales modo ſenſibili, Rationales modo rationabili, & intellectuales modo intelligibili. Nunc vt ad intentum noſtrum iam deueniamus, ne confuſi, diminuti, ſiue ſuperflui videamur, propoſitis in primis quibuſdam diſtinctionibus, & principiorum declarationibus, ad quod quid eſt ipſius Animæ multum conferentibus; & ſub typo quodam tota intentione noſtra manifeſtata, vt noſtri moris eſt, quandam de Anima definitionem proponemus. qua data, ipſam in ſuas partes reſoluemus; & eius vnamquanq; partem ſenſu, ratione, atque intellectu. ſ. ſimilitudinibus, & exemplis clariſsimis, argumentis demōſtrabilib. & fortiſsimis; & deniq; authoritatib. ap.pbatis cōprobabimus, nunq̃ a veris philoſophis, atq; theologis diſſentientibus. Incipientes igitur dicemus, quod in homine anima vna eſt, multas habens vires, & potētias, atque virtutes, per quas operatur, & ſecundum quas varia ſortitur nomina, & appellationes multas. quæ anima ſine aliquo reſpectu, & in ſe conſiderata non dicitur, neq; agens, neque poſsibilis, neque alterius nominis, ſed tantum vis Rationalis, & a bonis authoribus, vt ab Ariſtot. Mens, & impropriè, & pro vſu a multis intellectus. Sed quatenus communicat eſſe ſuum toti corpori, dicitur eſſentificatiua, & informatiua, quando per potentiam vegetatiuam, facit vegetare. ſ. nutrire, augere, & generare dicitur vegetatiua, quatenus per potentiam ſenſitiuam facit ſentire dicitur ſenſitiua, quatenus per potentiam cogitatiuam diſcurrit circa particularia componendo, & diuidendo, dicitur intellectus paſsibilis, intellectus paſsiuus ab Ariſt. & cogitatiua ab Auerr. Quatenus habet potentiam omnia intelligere, dicitur intellectus poſsibilis, materialis, & potentialis; quatenus habet potentiam proprio lumine actu ſe perficere, & intelligere, quæ erant in potentia intelligibilia dicitur intellectus agens particularis hominis,

Qño una ſola aīa in hoīe ē, & ſcd̄m diuerſas potentias diuerſimode appellatur Mens, uel ītellectus.

Informatiua.

Vegetat.

Senſitiua.

intellectus paſſibilis paſſiuus, & cogitatiua.

intellectus poſſibilis.

intellectus agens.

minis,& ipſi intrinſecus. Quatenus omnia iam intelligit,& ſe perficit,& potentia reducta eſt actū dicitur intellectus in habitu a nobis & ab alijs in actu,ſed non benè,& propriè,qui intellectus, ſi ſit habituatus habitib. ſpeculatiuis,dicitur intellectus ſpeculatiuus; ſi practicis habitib. dicitur intellectus practicus, Vocatur autem a nobis intellectus in habitu, quia non ſemper actu intelligit, ſed quando vult poteſt intelligere; & quia diſpoſitus eſt homo per iſtum ad intellectum in actu; Nam ſit intellectus in habitu vnitur in hac vita,& coniūgitur aliquādo intellectui agenti vniuerſali extrinſeco aduenienti,dicitur intellectus in actu: quia ſecundum veritatem intelligit id, quod verè tantum intelligebat?& quaſi in potentia,reſpectu huius veræ intellectionis. Poſt mortem, cum intellectus in habitu vnitur huic agēti vniuerſali,dicitur intellectus adeptus,quaſi quod homo adeptus ſit quod deſiderabat?& tunc perpetuo intelligit,& ipſum lumen retinet: Hæ ſunt autem principales conſiderationes ipſius intellectus,ſufficientes ad propoſitum noſtrum?& ex his quiſq; facilè poterit alias philoſophorum de intellectu denominationes intelligere,vt pote quomodo appellatur intellectus diſpoſitus,memoria intellectiua,Intelligentia,mens, ratio ſuperior, ratio inferior,& alia huiuſmodi, quæ nominum multitudo, propter diuerſam conſiderationem, à philoſophis inuenta eſt ad excæcandum ignorantes:vel ad ampliandum doctrinas ſuas, vt faciunt Scholaſtici, cū ſuis infinitis quæſtionibus diſtinctionibus, argumentis, & reſponſionibus. Quæ Anima,non eſt ab æterno creata, nec poſt corpus creato vel genita, ſed vno, & eodem tempore, cum corpus generatur ipſa anima per creationem a Deo omnium authore corpori infunditur,& infuſa dat eſſe ſpecificum corpori?ita quod poteſt ab ipſo ſeparari ſicut poteſt ſeparari Nauta, a naui: & quamuis corpus corrumpitur, ipſa remanet poſt mortem. quemadmodum quamuis corrumpitur nauis, Nauta remanet. & in hoc ſtat exemplum de Nauta,& naui, quoad ſeparationem,

Intellect. in habitu.

Intellect. ſpeculatiuus.

Intellect. Practicus.

Intellectus i actu

Intellectus adeptus.

nem, & non quoad eſſentiam, vt aliqui malè intelligentes exponunt. quoniam ſecundum eſſenriam dat eſſe corpori,& ab ipſo ſeparatur. quæ anima infuſa habens in ſe omnes rerum idæas,eſt tanquam tabula raſa in primo ſui ortus,& ſecundum quod corpus organizatur,diffundit vires ſuas, primo vegetando, ſecundo ſentiendo. deinde cum naſcitur homo, diffunditur totaliter virtus ſenſitiua & ſic paulatim creſcente homine a præceptoribus imbuitur,& fit intelligens per artes,atque ſcientias.& ſic ideæ illę,quas in potētia habebat excitatas proprio lumine facit actu intelligibiles. & denique ita perficitur,quod poteſt omnia cognoſcere,& copulari intellectui agenti extrinſeco,& per ipſum tranſire in Deum. & hæc eſt in hoc mundo fęlicitas hominis quæ rarò aduenit,& parum durat,& poſt mortem ſempitērna, atque inenarrabilis beatitudo filijs ſolis ſapientiæ conceſſa per Christum omnis ſapientiæ datorem a philoſophis antiquis incognitum. His habitis,iam ad definitionem de ipſa anima ueniamus.

Definitio animæ rationalis.

Anima Rationalis eſt forma, corpus humanum ſpecificans, independens, a Deo creata, vt homo, mediante ipſa, omnia cognoſcere poſsit.

Alex.2.de ani.q anima ſit forma. Quod aīa ſit ſubſtantia ſecundum Ariſ.

Diximus autem animam Rationalem eſſe, *formam*, non accidentalem, ſed ſubſtantialem & perfectam in ſe. & ideò Alex.ſecundo de Anima dicebat,anima eſt forma & animal cōſtituitur ex ea,& corpore,ut ex forma, & materia. Et quod anima ſit ſubſtantia,ſatis ab Ariſt. contra antiquos in libris de Anima probatum fuit, in nullo prædicamētorum eſſe poſſe eorum,quę ſunt in alio. ſequitur

igitur

igitur iure merito, animam in eo ſummo, ac principaliſſimo genere ſubſtantiæ, eſſe debere. Nonnè anima eſt principium primum omnis motionis? ergo non eſt accidens, quia ſi eſſet accidens, iſtud non moueret, niſi in uirtute alicuius ſubſtantialis principij, & tale eſſet anima. Ideo Alb. dicit, quia anima eſt pars ſubſtantiæ, cum ſit pars animati corporis, quod eſt ſubſtantia. Per quam enim cauſam viuentia, & non uiuentia ſubſtantialiter differunt niſi per animam? ergo anima eſt ſubſtantia. & dicitur ſubſtantia, non ab eo, quod ſubſiſtit, tanquam ſuppoſitum per ſe, ſed ab eo, quod non eſt in alio inhæſiue, cum ſit ens incompletum, & ſic non ſubſiſtit accidentibus, nam accidentia non inſunt animæ. Auicena vero lib. de Anima cap. 5. & Alb. ſumma de homine q. 3. faciunt hanc rationem. Suſceptiuum contrariorum eſt ſubſtantia, & anima eſt ſuſceptiua contrariorum, non ſicut ſuperficies, quæ eſt ſuſceptiua albedinis, & nigredinis, quæ non eſt in alio; ſed vt in alio: quia eſt ſuſceptiua habituum contrariorum, ergo ſubſtantia. Vnde, cum Auerr. ſecundo de Anima concludere poſſumus, Animam eſſe ſubſtantiam, notum nobis eſſe, ſecundum quod datur noſtra cognitio naturalis, innuẽtes, quod hoc manifeſtum eſt ex innato deſiderio animæ, quoad diuina fertur, & ex operationibus, cum rite purgata eſt ipſa anima. Et quòd anima non ſit materia, ratione Themiſtij comprobare poſſumus.

Quod aĩa non ſit accidens. *Alb. ꝙ anima ſit ſubſtantia.* *Rõ q̃d ſit ſubſtantia.* *Q̃uo dicatᷓ ani. ſubſtãtia.* *Rõ Auic. & Alb. probans ꝙ aĩa eſt ſubſtantia.* *Secundum Aue. notũ eſſe animã eſſe ſubſtãtiam.* *Quod aĩa nõ ſit materia cũ Th.*

Etenim, cum animal compoſitum ſit ex corpore, & anima, ergo vel vtrumque erit materia, vel forma, vel alterũ materia, alterum verò forma. ſed vtrumque materia eſſe non poteſt. quoniam, cum materiæ ſit recipere, deſcribi, duci, fingi, aſtringi, & cohiberi: anima verò recipiatur in materia, materiam deſcribat, ducat, fingat, aſtringat alioquin diſſipabilem, ac diſſolubilem cohibeat. relinquitur igitur vtrumque materiam eſſe non poſſe: cumq; eademmet ratione vtrumque forma eſſe non poſſit; ſequitur igitur, quod alterum erit materia, alterum verò erit forma. non poteſt autem anima eſſe materia rationibus dictis, er

go erit forma. Præterea cum corpus animatum ab inanimato differat, non ratione formæ totius, ſed ratione animæ, & omnis differentia ratione formæ, & non materiæ ſumatur, ergo anima non erit materia, ſed forma. Amplius, materia non eſt principium actiuum motus, anima autem ſic, ergo non eſt materia. Item, materia eſt ſubiectum, anima eſt in ſubiecto, ergo anima non eſt materia. Eadem ferè ratione dicimus animam compoſitum, vel corpus, non eſſe: quoniam compoſitum non eſt in ſubiecto, qnemadmodum anima. Præterea, ſi eſt corpus vel elementum, vel ex elemētis, vel ex natura cœleſtis corporis. non elementum, quia elementa habent determinatos motus, vel ſurſum, vel deorſum, at anima non talia. præterea illa neceſſariò, hæc ſecundum appetitum mouetur Non mixtum, quia tunc impediretur a cognitione accidentium. non cœleſte corpus, quia hoc inalterabile, & incorruptibile. at anima per accidens alterabilis, & corruptibilis. Item corpus non poteſt eſſe ſimul, & cum qualibet parte alterius corporis, non enim eſt penetratio corporum: at anima, eſt in quaque corporis parte, ergo non poteſt eſſe corpus. Amplius, anima non ne eſt principium primum, vt diximus, motus animati? ergo nō eſt corpus, quia nullum corpus eſt principium primum motus. Nec valet dicere, ſi anima eſt in ſubiecto, ergo non eſt ſubſtantia, ſicut poſuimus, ſed accidens. quoniam cum Auerr. reſpondemus, quod ratio totalis per quam accidens ſit accidens, nō ſumitur ab hoc ſimpliciter, ut ſit in ſubiecto, niſi ſit in ſubiecto cum tali conditione, quod a ſubiecto ſeparari poſſit, non corrupto ſubiecto, ac corpore in quo reperitur, quo quidem priuatur anima, quæ licet ſit in ſubiecto, reperitur tamē in ſubiecto, ita dans eſſe corpori ſpecificū, quod ipſa ſeparata, vt videbimus, corpus corrumpitur. Et ſi adhuc dicentes inſtarent, omne quod aduenit enti in actu non poteſt eſſe forma ſubſtantialis, ſed accidentalis, ſed anima aduenit corpori, corpus habet propriam formam, ergo anima ſubſtantia eſſe non poteſt. Aliqui

Alia ratio
Alia ratio
Quòd aïa non eſt corpus.
Alia ratio quòd nō ſit corpus anima.
Alia ratio
Alia ratio
Obiectio.
Reſponſio cum Aue.
Inſtantia.
Reſponſio aliquorum

qui reſpondent, quod nihil inconuenit in uno indiuiduo ſubſtantiali, eſſe plures formas ſubſtantiales, dantes plures actus, ſub ordinatas, & ſic non eſt abſurdum aliquid alicui aduenìens, ut perfectius imperfectiori eſſe ſubſtantiam. Vnde, cum corpus, quamuis habeat formam totius, cum tamen illa forma ſit corruptibilis educta de gremio materiæ, & imperfecta: anima uerò æterna a corpore inde pēdēs, & perfecta, vt videbimus: ideò pōt ei aduenire, & non eſt inconueniens: quoniam omnes reducuntur ad vnam omnium perfectiſſimam. Sed nos ſecurius dicimus q̄d, quamuis in corpore ſit forma totius, quoniam illa forma non dat actum corpori, cum talem habeat ab anima; ideò non inconuenit, animam ei aduenire, cum ſit talis forma, niſi vnio corporis tanquam entis incompleti diſpoſiti ad recipiendum animam & ſicut materia reſpectu animæ. Et ſi quis argutè diceret, per te anima eſt forma, ergo actus; ſed mihi videtur, quod anima non ſit actus; quia virtutes animæ, & ipſa anima ſunt idem eſſentialiter; ſed illæ ſunt potentiæ, ergo etiam anima, ergo non actus. Dicendum, quod hoc eſt ſophiſma, quia illud vocabulum, potentiæ, acceptum pro virtute, non negat actūm; ſed anima eſt ſimul actus corporis, & potentia ſentiens, intelligens, & vegetans. & ideò iſta potentia non eſt illa, quæ cō tradiſtinguitur actui. Præterea Auerr. in 3. commu. 36. ait. Quando duo vnita ſunt, & vnum altero eſt perfectius, ac præſtabilius, quod eſt perfectius, eſt forma rei imperfectioris, & alterum, vt materia. ſed duorum vnitorum corporis, & animæ, intellectus, & anima eſt nobilior, ac præſtabilior. quoniam, ut ait Themiſtius, intellectus eſt præſtabilior, quia cœteris rebus, quibus formatur mundus, ingenium animæ anteſtat. ergo intellectus erit tanquam forma, nos ut materia eius. Non nè Platonici, Peripatetici, ac medij horū, & vniuerſa ſchola Auerroiſtica dicunt, quod intellectus, & anima eſt forma in nobis, vt ſubſtantia? Quæ anima cum ſit ens incompletum, & in corpore, & actus corporis, vt uidebimus, & ſubiectum accidentibus

Reſponſio vera.

Obiectio.

Reſponſio.

Auerr. q̄d anima ſit forma.

Themiſt. Platonici, Peripatetici, medii, & ſchola Auerroſtica tenent animam eſſe forma.

ſenſi-

ſenſibilibus,& motibus ſaltem per accidens, cũ eſt in corpore,ergo non eſt dicendum, quod ſit ſubſtantia ſpiritualis,& non forma. quia ſubſtantia ſpiritualis eſt ens completum,non in corpore,non actus corporis, nec ſubiectũ accidentibus ſenſibilibus per accidens,& ſic malè,qui ponunt ipſam eſſe ſpiritualem dicunt, cum ſit forma,ut vidimus. Præterea nonnè forma eſt illa quæ facit eſſe hoc aliquid.ſed quid quæſo facit,quod animal ſit,niſi anima? Item nonnè facit forma deſinere hoc aliquid per ſuam abſentiam?ſed quid,& quomodo deſinit animal eſſe, niſi per abſentiam animæ? ergo anima erit ſubſtantia, ſecundum formam.Quæ forma eſt vna in eſſentia,& in ſubſtantia habens multas facultates,propietates,virtutes, & gradus intrinſecos.Vnde Auer.diſp.13. dicit gradus eſſentiæ in eodem eſſe plures patet ex anima. Alexander primo de Anima.Animæ rationalis multæ ſunt poteſtates,ut conſilium,opinio,ſententia,deliberatio,& huiuſmodi, quæ ſolus homo habet. & Marſilius Ficinus in lib.15. de Theolog.Plat.in animę rationalis virtute ait claudi ſenſitiuam & vegetatiuam. Præterea Philo Iudæus in lib.de Sacrif. Abel, & Cain. Ex vna animæ radice velut ſtirpes prodeũt intellectus,& ſenſus. Quid plura? Ariſt.ait,quod in animalibus,& vegetabilibus potentiæ ſunt cum eſſentijs, & virtualiter tanquam trigonum in tetragono. Quæ facultas, ſeu potentia animæ, ſecundum Ariſtot. non eſt accidens quoddam animæ, ſed proprietas quædam quæ conſequitur ſubſtantiam animæ,qua poteſt operari, & non operari.operatur enim formaliter, non operatur cauſaliter; & ſemper in anima eſt aptitudinaliter. & quando dicunt aliqui,quod eſt accidens, quoniam videntur facultates perire, ſalua exiſtente animæ ſubſtantia(augmentatiua enim facultate in ætate conſiſtentiæ intercedit, & aboletur) dico,quod formaliter ĩtercedit, nõ cauſaliter,ſufficit,quod animæ ſubſtantia ſit aptitudo,quod quotieſcunque daretur ætas conueniens quod vteretur augmentatiua facultate.ita quod facultas non poteſt ab anima ſeiungi,uel ſeparari,

Quod aïa nõ ſit ſubſtãtia ſpũalis.

Alia rõ ꝙ ani. ſit forma.

Alia ratio

Aïa eſt vna in eſſentia hẽns multas potentias, & facultates, ꝙ cõfirmatur ꝑ Auer. & alios, & ꝑ Alex.

Marſilius Ficinus.

Philo Iud.

Ariſtot.

Quid ſit facultas, & potẽtia aïæ

rari, ſed eſt ſibi ingenita, & eſſentialiter eadem cum ipſa anima, atque cauſaliter. Vnde non bene Sanct. Thomas dixit, potentias animæ re diſtingui ab ipſa anima quare ſapienter Scotus argumentabatur dicens, quod ſubſtantia, quæ generatur, debet a ſubſtantia generari. nam, ſi potentia gignitiua eſſet accidens, accidens generaret ſubſtantiam. Vnde anima aptitudinaliter, quamuis non operetur, facultates ipſas continet, quas obtinuit, vt poſſet edere tot, ac tam varia opera, atq; tam diuerſos promere effectus. Fluunt igitur ab anima, ac dependent, non vt accidens a ſubiecto: ſed tãquam proprietates ab eſſentia, quæ formaliter differũt ab eſſentia, & inter ſe; cauſaliter vero virtualiter, potentialiter, & eſſentialiter, quod vnum, & idem apud nos eſt; eadem ſunt cum ipſa eſſentia, & inter ſe. Ergo cum anima habeat multas facultates, dicendum erit, quod non re, vt multi opinati fuere, diſtinguitur a vegetatiua, & ſenſitiua, ſed per proprias facultates, & potentias, quas in ſe habet ab ipſa, & non a corpore dependentes. Et quando dicit Io. Grammaticus in primo Text. 3. de Anima. Non eſt, inquit, dicendum vnam eſſe animæ eſſentiam. plures tamen ſub ſe potentias habentem: quia cum anima in vniuerſali habeat partem corruptibilem, & incorruptibilẽ, ſequeretur, quod in eademmet eſſentia includeretur ſimul corruptibile, & incorruptibile. Dico, quod malè cum fundamentis falſis argumẽtatur. Nam ſi accipit animã vniuerſalem & genericè prout illa ſit communis vegetabilibus, animalibus, & hominibus, verum eſſet (nec propter hoc cum aliquo inconuenienti, cum talis ſit conſiderationis ſcientificæ) quod in ipſa eſſet corruptibile, & incorruptibile, cum ſola illa hominis ſit immortalis; cœteræ vero mortales, cũ ſint eductæ de potentia materiæ. Sed nos loquimur de Anima non in vniuerſali, nec genericè, ſed de anima rationali, in qua non includitur niſi incorruptibile, quoniam quamuis corrumpantur operationes vegetandi, & ſentiendi formaliter: non tamen cauſaliter. quoniam in anima rationali ſunt

Reiicitur S. Thom. Acceptatur Scot.

Q̃ho ani. nõ re, ſed per facultates diſtiguatur a veg. & ſẽſ. Io. Gram. contra.

in eſſe cauſali iſtæ potentiæ,ſcilicet perfectiori modo;ita quod anima rationalis non differt a vegetatiua,neq; ſenſitiua cauſaliter,niſi formaliter. quia vna & eadem eſſentia per facultates,quas habet, has operationes edere poteſt, quæ operationes,ſi cauſaliter dependerent a forma, quæ educeretur de gremio materiæ,ſequeretur,quod corruptis ipſis,corrumperetur etiam forma.ſed procedunt a forma incorruptibili. Ideò bene Ariſtó. vt diximus ſuperius,dicebat,animam inferiorem eſſe in ſuperiori,vt Trigonum in Tetragono.Trigonus autem in Tetragrono potentia,& virtualiter, vel cauſaliter continetur: non autē actu,& formaliter innuere volens Ariſto. quod uegetatiua,& ſenſitiua ſunt in anima rationali potentia, & in eſſe cauſali.dicitur potentia,quia tunc nō operantur,ſed poſſunt operari,ſi dātur inſtrumenta.& in corpore ſunt actu, & in eſſe formali, quia tunc operantur. Idem confirmat Ari.quando dicit,delineans poſsibilem. Nihil,inquit,eſt actu eorum,quæ ſunt ante intelligere:nec alia eſt natura, præter hanc,quod poſsibilis eſt. ergo ſi non alia eſt natura,quàm quod ſit poſsibilis,ergo cum Alexandro, & non cum Grammatico & alijs dicendum eſt,hanc poſsibilitatem importare facultatem animę,non autē ſubſtantiam. quod comprobat, cum dicit,quod poſsibilis non eſt natura:quoniam anima rationalis non appellatur, quoad ſuā eſſentiam & naturam,neque poſsibilis,neque agens, neque vegetatiua,neque ſenſitiua,vt diximus, niſi quoad facultates.& ideò ſi dicitur poſsibilis, ergo importat facultatem,ergo non eſt natura,vt ipſe Ariſt.dicit, ſed facultas quædam. quoniam dicitur natura in ſe, quoad potentias non verè dicitur natura,ſed facultas. Et quando dicunt, quod Ariſto.vult dicere,quod non eſt natura intelligens, ſed quod eſt natura,quia eſt ſubſtātia, quia 66.ſecundi de Anima idem ait, intellectum eſſe ſubſtantiam quandam in fieri.non autem in corrumpi.hoc pro me eſt,quia animam eſſe ſubſtantiam in fieri, eſt eſſe ſubſtantiam potentia,& in eſſe cauſali,quæ poſtea in corrumpi,ideſt actu, &

Confirmatio p Ariſto.

Alia confirmatio p eundem.

Obiectio.

Reſponſio

quoad

quoad facultates non eſt ſubſtantia, & eſſentia, ſed facultas, & virtus, & quoad has virtutes, & facultates formaliter corrumpitur, & ideò dixit in corrumpi. Vnde patet animam rationalem eſſe ſubſtantiam vnam, eſſentiam, & formam plures ſub ſe facultates habentem, per quas differt a vegetatiua, & ſenſitiua, & quando dicunt. Si anima rationalis non diſtingueretur re a ſenſitiua, ſed per facultatem, ergo anima eſſet diſtincta ad numerum indiuiduorum; ſicut ſenſitiua Platonis, diſtinguitur a ſenſitiua Socratis; & hunc ſequeretur, quod ſi eſſet numero diſtincta eſſet hic, ergo vt hic reciperet, & ſignate. Vnde in vniuerſali intelligere non poſſet, cum enim recipiens recipiat per modum, quo recipiens eſt ſecundum Ariſt. ac debeat cadere proportio inter virtutem recipientem, & receptũ; ita ut ſi recipiens virtus ſit abſtracta, obiectum, quoque ſit abſtractum; & ſi virtus ſit ſignata, pariter, & obiectum ſit ſignatum. ſi igitur anima eſt recipiens hic receptum quoque eſſet hoc, & nõ vniuerſaliter intellectum. Dico quod anima rationalis eſt diſtincta ad numerum indiuiduorũ, ut probabimus ſuo loco, & quod eſt hic formaliter, non cauſaliter, uel potentialiter. & ſi dicunt, ergo recipit hic, & ſignatè verũ eſt formaliter, & ſi ulterius procedũt dicẽtes, ergo in vniuerſali intelligere non poſſet, dico, quod verum eſt. quod non intelligit vniuerſale vniuerſaliter, ſed bene vniuerſale in ſingulari. quoniam omnia recepta in ea ſunt hæc & ſingularia. ſed quoniam ſunt ſine materia, ideo repreſentant vniuerſaliter, & ſine tempore. & ſic ſoluuntur ſua argumenta. Et quando dicunt, quod debet eſſe proportio inter virtutem recipientem, & receptum: dico, quod verum eſt, quando vnum ſolum obiectum recipienti repreſentatur. ſed quando recipiens eſt talis naturæ, quod plura obiecta recipere poteſt, non currit regula, nec valet proportio, ſed natura animæ rationalis media, & verſatilis eſt. quoniam ſi ad intellectum aſcendit, tunc recipit intelligibile, & vniuerſale. cum vero ad ſenſum deſcendit, poteſt hoc, & illud ſignatum recipere, quæ receptio

Obiectio

Reſponſio

ximus;& uidebimus,reſpectu corporis a naturali conſide ratur: reſpectu intellectus, a Metaphiſico. Ideò bene dicebat Auerr. 12. met. 17. quod intellectus noſter habet quod dupliciter intelligat. at primo quod mendicat a phã taſia, & accidit hoc ſibi ob eius imperfectionem, ſcilicet quoniam reſpicit ſenſum, & corpus; & cum iſta poten tia fuerit deſtructa, id eſt quod formaliter amplius non operetur: tunc ipſemet ſeipſum intelligit, & potentia erit eſſentia, id eſt redibit in ſuam eſſentiam, quoniam ab ipſa dependet. Si verò vlterius dicunt, ſi unica eſt eſſentia Animarum, & indiuiſibilis, igitur tota eſſet mortalis, uel tota immortalis, quoad eſſentiam. neque enim datur medium, vt notat Philoponus, quod effugere poſſit vel mortalitatem vndequaque vel immortalitatem penitus. quod autem animæ ſenſitiuæ eſſentia ſit corruptibilis, ex Ariſt. manifeſtum habemus. Dicimus ſecundum noſtra principia, quomodo facultas ſenſitiua, cum ſit vna, & eadem in eſſentia cum rationali, cauſaliter eſt incorruptibilis, formaliter verò, vt ſe extendit ad organa corruptibilis. & Ariſt. loquitur de ſenſitiua brutorum, & non hominis: quoniam talis, vt dixi, eſt incorruptibilis, ſecundum eſſentiam, m formaliter corruptibilis. ſed aliquis dicet, reſponſionem non eſſe ad propoſitum, quoniam Ariſt. dicit, nos non reminiſcimur poſt mortem: quia operatio illa ſit deſtructa, ſed ait, quia paſſiuus intellectus eſt corruptus; notans eſſentiam operationis, dico: quod hoc eſt faſum. quoniam anima rationalis in eo quod vtitur cogitatiua formaliter, dicitur intellectus paſſiuus, & non vt in ſe eſt, ſed in ſe eſt eſſentia, & in eo quod cogitat operatur, ergo intellectus paſſiuus denotat operationem, & nõ eſſentiam. & ideò quando non vtitur tali intellectu paſſiuo, vel cogitatiuo dicitur, quod corrumpitur formaliter, quamuis in eſſe cauſali retineat, & habeat facultatem cogitandi, cum in ſua eſſentia omnes vires, & facultates cõtineat cauſaliter, & perfectiori modo. & ſic Ariſt. cum dicit, quod intellectus paſſiuus corrumpitur, intelligit facultatem, non autem eſſentiam. Et ſi dicunt corruptibile,

Aue. quod intellectus dupliciter cõſiderat.

Reſponſio

Obiectio

Reſponſio

teſt quicquid poteſt vegetatiua, & ſenſitiua, quare pone re ante vegetatiuam, & ſenſitiuam? Nonne ſciunt, quod vno, & eodem tempore generatur corpus, & per creationem infunditur anima? ideò ante non reperiuntur aliæ virtutes; quæ anima infuſa poſtea corpori per facultates, quas habet facit multas operationes, iuxta diſpoſitionem organorum, ſemper eadem manens in eſſentia. Similiter quando dicit S. Thomas, quod corpus antequàm animetur, habet aliquam formam; & quod illa forma non manet adueniente anima, quia aduentus formæ, eſt per quandam generationem; generatio autem vnius non eſt ſine corruptione alterius, ergo. Dico, quod cum generatione corporis creatur, & infunditur anima, & quod manet illa forma non præbens aliquem actum corpori, ſed tantum eſt vnio corporis, tanquàm entis incompleti diſpoſite ad ſuſcipiendam animam alteram hominis partem in inſtanti actum præbentem, & ſic talis forma non corrumpitur. Quis quæſo, o Thomas, dat homini corporeitatem? Rationalis anima non, cum ſit incorporea, & nemo dat quod non habet. ergo oportet, quod homo habeat hoc ab alia forma. nec eſt dicendum, quod licet Anima nō hēat corporeitatem actu, habet tamen virtutem, ſicut ſol calorem. quoniam hoc eſt imaginarium, & phantaſticum dictum. cum æque bene rationibus optimis poſſint ſaluari principia philoſophiæ, ideò dico, quod neceſſarium eſt, quod corpus habeat ſuam formā totius, quod corpus humanum cum ſit ens incompletum, non habet actum, vt pars hominis ab hac forma, niſi ab anima. ſed iſta forma facit vnionem talis entis incompleti, ſicut diximus, vt diſponitur ad recipiendam animam & eſt velut materia reſpectu animæ. Sed aliquis contra hæc diceret. Nam Ariſt. 2. de generatione animal ait. Senſualis anima tempore procedente recipitur, & rationalis qua homo eſt. non enim ſimul, & animal fit, & homo &c. Præterea Auer. 2. de generatione, etiam ipſe Cap. 3. ait. In Embrione oritur primò Anima nutritiua, mox reſultat virtus ſen-

Poſitio S. Thomæ.

Reiicitur.

Obiectio.

ſitiua, & poſt modum rationalis; non quod fiat ſimul homo, & animal &c. Dico, quod anima cum creatur in inſtanti quando generatur corpus, quod in primo ſui ortus quamuis in ſe cauſaliter habeat omnes virtutes, tamen formaliter cum non habeat inſtrumenta, non poteſt operari, & ipſas edere: ideo primò vtitur nutritiua, poſtea ſenſitiua, & vltimo cogitatiua. & procedente ætate intellectu. & hoc volunt dicere philoſophi, qui ſemper ſub inuolucro loquuntur. Quoniam Ariſt. ſemper procedit ab operationibus ad eſſentias, a ſenſibilibus ad intelligibilia. ideò quando loquitur ibi de animabus, loquitur quo ad operationes. & quia primo operatur vegetatiua, 2. ſenſitiua, & 3. intellectiua: ideò iuxta diſpoſitionem operationum loquitur. cum tamen nec vegetabilis, nec ſenſitiua præcedent rationalem quod eſſentiam, niſi quoad operationem. ac ob id non dixit Ariſt. prius eſſe plantam, ſed viuere vitam plantæ. Quam interpretationẽ ſequuntur Alb. ſumma de homine, & Philop. Ex hoc autem non colligitur pluralitas animarum in vno, immo vnitas, quãtum ad eſſentiam, & ſubſtantiam. Ideò bene Ariſt. 2. de partibus ani. loquens de animabus, dicit omnes, ſcilicet virtutes animarum potentia prius haberi, quàm actu neceſſe eſt. hæc ſunt verba Ariſt. quoniam procedente ætate formaliter operãtur, quamuis cauſaliter ſint in eſſentia ipſius animæ. Præterea, quando dicunt mens extrinſecus aduenit, ergo cœteræ eductę &c. dico, quod ibi philoſophus dubitat de Animabus, quæ in animali reperiuntur in conceptu, & per methodum diuiſiuam ſufficientem cõtemplatur hanc veritatem dicens, videndum eſt vtrum tales animæ omnes, ſcilicet irrationales, & rationales uel extrinſecus accedant, vel intrinſecus acceptæ ſint, vel partim extrinſece, partim intrinſece. qui reſpondens ſoluit, quod Animæ illæ, intelligens philoſophus de irrationabilibus, quæ vt funguntur ſuis muneribus, neceſſario habẽt determinatum organum in corpore ab ipſis dependentes, quod omnes ſimul cum corpore corrumpuntur. Mẽs

Reſponſio

autem

autem.i.aīa rationalis, cum non habeat organum deter minatum, quamuis totum organum, ſcilicet corpus informet,& in ipſum influat extrinſecus tamē ſola aduenit. quoniam creata eſt a deo dum generatur corpus,& ipſi ſtatim infunditur.ideò ipſa diuina eſt,atque nō interit. Ideò bene dicebat Ariſt. Ridiculum eſſe communem omnis animæ,ſcilicet rationalis,& irrationalis definitionē quęrere, cum iſta de gremio materiæ veniat, illa ab extrinſeco. Ex quo patet,quo modo male argumentabantur, non intelligentes dicta Ariſt.non valet,mēs extrinſecus aduenit,ergo cœteræ virtutes corruptibiles. Vnde nam hæ uirtutes? & quæ virtutes erunt iſtæ? ſi ipſa anima dum infunditur corpori,quādo generatur corpus,ſecum portat omnes virtutes vegetandi,ſentiendi,& intelligendi? & ſic vanum eſt argumentum. quoniam Ariſt.vt diximus, loquitur de animabus irrationabilibus. Pręterea ex hac declaratione poteſt comprehendi quomodo in errore fuerunt illi, qui dixerunt, quod ſermo Ariſt.ibi erat de Deo, non uidentes,quod loquitur de generatione animarum, utrū omnes a materia,vel partī a materia veniant,partim non concludens,quod mens i. Anima intellectiua, & rationalis,non uenit a materia; ſed ab extrinſeco: quoniam creatur a Deo, conſuetum eſt apud philoſophos principium intellectiuum appellari mentem. Vnde etiam male Pomponatius expoſuit locum Ariſto. cum dicit, mens ſola ab Ariſt.dicitur ab extrinſeco aduenire per comparationem ad ſenſitiuam, & vegetatiuam. & hoc quod illæ cum ſint valde materiales,iſta autem habeat quaſi de immaterialitate,reſpectu illarum potui hoc ſibi vendicare, vt dicatur extrinſecus aduenire.quæ quidem expoſitio,præter quod recedit a mente Ariſt. patitur etiam aliam difficultatem, quia ſi vult exponere comparatiue,quod in comparatione aliarum intellectiua dici poſsit extrinſecus aduenire: ergo pariter exponendum eſſe dicam de ſenſitiua anima reſpectu vegetatiuæ; cum ſit minus materialis, quod dicatur extrinſecus aduenire,Ideò melius ſcotus expoſuit,qui

Error aliquorum.

Error Pō-ponacii.

Scotus.

dixit ſic intelligere voluiſſe, quod ratione Dei glorioſi ſi tranſitus de non animare ad Animare, ita vt Embrio, qui prius non erat animatus, nunc ſit animatus, cum ſecundũ fundamẽta noſtra veriora dicimus, quod hoc animatum prouenit à Deo, ſubito quod generatur corpus, ut non a generante, quoniam ſi Deus formaret generationem in materia, quælibet forma generabilis, & corruptibilis diceretur extrinſecus aduenire, ſed prouenit à Deo, vt creatore non creatione æterna, ut aliqui, ſed creatione noua. & ſic in inſtanti Anima corpus non animatum informat, & facit ipſum tranſire de non animare ad animare.

Incõueniens ſi darentur plures formæ diſtinctæ realiter. Præterea, ſi anima intellectiua per iſtos diſtingueretur per eſſentiam, & non per facultatem, ergo ſequeretur, quod ego, qui per animam ſenſitiuam ſentio, idem non ero aliquid intelligens per animam intellectiuam; quomodo fieri poteſt ut ego ipſe ſim, qui per vnam eſſentiam ſentiam, & per alteram intelligam? ergo neceſſario, ut hæc abſurdã euitemus, debet dari diſtinctio ratione facultatum. & hoc pacto idem ero per vnam, & eãdem met eſſentiam. ſed per uirtutẽ intellectiuum intelligam, & per ſenſitiuam ſentiam.

Obiectio. nec dicendum eſt, ſunt plures eſſentiæ, vel formę ſubordinatæ, una imperfectior altera, & ideò per vnam poſſum ſentire, & per aliam intelligere; quoniam

Reſponſio Auicenna. dico, quod ſi poteſt dari una, ad quid multiplicari formas, & entia abſque neceſsitate? Ideò Auic. dicebat, omnes actiones animę in uno mutuo ſe impediunt, ut contemplatio ſenſationem, & è cõtra. ergo ab unica proueniũt.

Alia ratio quia ſi plures eſſent, non ſe impedirent. Preterea per aliud homo eſſet animal, & per aliud homo, & ſic hęc propoſitio eſſet falſa; homo eſt animal, nec eſſet intrinſeca, nec per ſe, ſed ſicut iſta album eſt dulce.

Alia ratio Amplius ſi ſunt tres animę, aut uniuerſales, aut particulares; ſi uniuerſales, ergo ideæ, ſi particulares, ergo in particulari indiuiduo debent ſumi, ergo unus homo erit triplex indiuiduũ.

Alia ratio Prętere a eſſet totum per accidens, cum habeat diuerſa eſſe perfecta in ſubſtantia. Ne igitur talia inconuenientia dentur,

dentur,confitebimur,& concludemus cum Ariſto. & bonis Philoſophis, animã Rationalẽ eſſe unam eſſentia plures ſecundum diuerſas virtutes & potentias, per quas differt a vegetatiua,& ſenſitiua. Concluſio

Poſtquam manifeſtum fecimus prædictam concluſionem,nunc videndum eſt,vtrum potentiæ animę differant inter ſe realiter,& quomodo ab anima diſtinguãtur. Ego primoq pro cõcluſione,& reſolutione veritatis dico, quod omnes potentiæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ in homine formaliter inter ſe diſtinguuntur: realiter vero, & cauſaliter non diſtinguuntur,ſed ſunt eadem,& omnes ſunt in ipſa anima realiter, & eadem cum ipſa anima, ut ſatis abundè ſuperius demonſtrauimus. ſed vegetatiuæ,& ſenſitiuæ formaliter neceſſario ſunt in coniuncto, & etiã intellectiua,ſed inorganice,quando intelligit cum phantaſmate.cum autem non intelligit cum phantaſmate,non eſt in coniuncto. Reijcitur ergo Iandunus,qui dicit,quod omnes potentiæ ſunt in anima,ut in ſubiecto, & ſunt realiter diſtinctæ inter ſe, & a ſubiecto. quoniam non diſtinguuntur realiter,niſi formaliter; & non ſunt in anima niſi cauſaliter.& hoc modo ſunt eadem cũ ipſa anima, & non differunt ab ipſa,nec inter ſe. Similiter Paulus Venetus, qui dicit,quod potentiæ diſtinguuntur realiter,tamen differunt in ſubiecto,quia communes,ut vegetatiuum,ſenſitiuum,appetitiuum,motiuum, & intellectiuum ſunt immediatè in anima,ac particulares,vt ſenſus interiores, & exteriores ſunt immediatè in particula materiæ,& corporis. quoniam omnes potentiæ cauſaliter immediatè ſunt ab anima,formaliter verò,vt diximus. Gregorius verò,& Marſilius in hoc dixerunt rectè, quod non diſtinguuntur realiter ab anima: & in alio non recte, quando dixerunt ſola ratione differre. Nam vna anima propter varias operationes varia ſortitur nomina.ipſa enim eſt ſenſus,& intellectus,& voluntas. Dico,quod non ſolum ratione,ſed formaliter.quia ſi potentia vegetatiua ſolum ratione differret,ergo poſſet etiam ſentire. quoniam quæ ſola ratio-

Vtrũ potẽtiæ aĩæ differant inter ſe realiter,& quõ ab aĩa diſtinguantur.

Reiicitur Iand.

Reiicitur Paul. Venet.

Reiiciunt in parte Greg.& Marſilius.

ne differunt, poſſunt formaliter eſſe eadem, ſicut aſcenſus, & deſcenſus in ſcala, quod falſum eſt, ideò differunt, quia hæc formaliter ad vegetandum, & illa ad ſentiendum tantum applicatur: & talis differentia eſt propter potentias, quæ formaliter diſtinguuntur, & non ratione. Per eaſdem rationes non acceptantur S. Thomas, Aegidius, Herueus, & Philoponus, qui dixerunt, potẽtias diſtingui omnes realiter a ſubiecto, & inter ſe: ſed intellectũ, & voluntatẽ eſſe immediatè in anima, alias in toto compoſito. Melius in parte principali quæſtionis Scotus ſubtiliſsimus dixit diſtingui inter ſe, & ab anima, & a ſubiecto formaliter: eſſe tamen idem realiter cum ſubiecto. In alia parte, vbi tenet, quod non omnes ſunt in anima, ſed intellectus, & voluntas, reliquæ tamen in coniuncto. Vt viſus in oculo, qui cõpoſitum eſt quoddam, & guſtus in lingua, licet non realiter diſtinguantur a coniuncto.

Reiiciunt S. Thomas, Aegidius, Herueus, & Philop. Acceptat Scotus in principali parte qõnis.

Reiicitur. Dico, quod non bene: quoniam omnes ſunt in anima, ut diximus. & ut noſtram opinionem tanquam veram diuerſam ab omnibus alijs confirmamus, cum oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, per deſtructionem rationũ Toleti, qui tenet potentias realiter inter ſe, & a ſubiecto diſtingui veritatem manifeſtabimus. Quando ipſe Toletus citat Ariſt. primo de Anima tex. 90. & ſecundo de Anima Cap. 3. & 3. de Anima Cap. 4. & in Ethicis dicens, quod potentia per Ariſt. in his locis realiter inter ſe, & a ſubiecto diſtinguuntur.

Reiicitur Toletus.

Reſpondeo, quod Ariſt. loquitur in omnibus illis locis quoad operationes, & de potentijs prout formaliter conſiderantur. ſed non valet dicere, formaliter diſtinguuntur, ergo realiter. quia ſi realiter, ergo diuerſas eſſentias haberent, tamen cõueniunt in eadem eſſentia: quia cauſaliter ſunt eadem, nec realiter diſtinguuntur; immò realiter eadem ſunt cum ipſa anima. Diſtinguuntur igitur ab ipſa anima nõ realiter, ſed formaliter. Et quando dicit, ab vno non prouenit niſi vnum; verum eſt realiter: tamen plura formaliter poſſunt prouenire, & ideò ab anima vna, & ſim-

Obiectio. Reſponſio

plici

plici procedunt multæ operationes diuerſæ. ergo aliqua pluralitas in ea eſt conſtituenda realis, & hæc erit potentiarum. hoc negatur, quia plura operari non poteſt anima per varias potentias, & facultates cauſaliter, niſi formaliter. & cũ cauſaliter non poſsit operari, potentiæ ſunt eædẽ realiter, cũ ipſa aĩa & nõ diſtinctæ inter ſe, niſi formaliter.

Et quando dicit Toletus, quod quis dicere poſset, ſi non daretur diſtinctio potentiarum, & virtutum, quod nullum eſſet argumentum ad probãdum in igne eſſe ſiccitatem diſtinctam a calore. Dico, quod ignis cauſaliter neque exiccat, neque calefacit. & ſic in igne cauſaliter nõ diſtinguuntur, niſi formaliter ratione operationis, & ſic in elementis ponuntur, o Tolete, virtutes diſtinctæ, non realiter, & cauſaliter, ſed formaliter. Et quando dicis, quod multa enuntiamus de potentijs, quæ ſaluari nõ poſſunt, niſi facta diſtinctione inter ſe, & a ſubiecto earum. Dico, quod verum eſt formaliter, non autem cauſaliter & quod formaliter diſtinguitur, non realiter diſtinguitur immo quæ diſtinguuntur formaliter, poſſunt realiter eſſe eadem, & ſic potentiæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ in homine, quamuis vna ſit alia nobilior, o Tolete, realiter eadem ſunt, formaliter diuerſæ. Et quando dicis, quod potentia eſt accidens, & abſolutum, dico, quod hoc eſt argumentari in æquiuoco, & cum cauillatione. quoniam verum eſt, quod potentia accidentalis eſt accidens, non autem potentia animæ. quoniam eſt proprietas, vt diximus, quæ inſequitur eſſentiam, quæ formaliter operatur, & cauſaliter aptitudinaliter conſeruatur in ipſa eſſentia, cum eadem ſit cum ipſa. Et quando ſexto dicis, quod vna poteſt eſſe ſine altera, & vna ſeparari ab altera, dico, quod verum eſt formaliter, non autem cauſaliter. & quando uis corroborare hanc rationem dicendo, quod non eſt alia certior regula, ad diſtinctionem realem cognoſcendam, quàm quod vnum poſſit manere ſine altero, & e contra alterum ſine altero. Dico, quod regula valeret, ſi vnum maneret realiter, & cauſaliter ſine altero;

Rõ Tolet. Reijcitur. Alia rõ Toleti. Reſponſio Alia ratio Toleti. Reſponſio Alia ratio Reſponſio Obiectio. Reſponſio

non tamen valet, quādo formaliter vnum ſine altero manet Ecce qũo vna ſola diſtinctione omnia tua argumenta corruunt; qm̄ à natura rei dilucidamus res. Ruit etiā per ea, q̄ diximus, ſecunda cōcluſio tua, o Tolete, qn̄ dicis, qđ potentię ſenſitiuę, vegetatiuæ, & appetitiuæ in coniuncto ſunt tm̄, intellectus vero, & voluntas in ſola anima. quoniam dico, quod omnes cauſaliter, & eſſentialiter in homine ſunt in ipſa anima immediate, formaliter verò, ut diximus. Et quando dicit Ariſt lib. de ſomno, & vigil. Ca. 1. quod ſentire non eſt corporis, nec animæ, ſed cōiuncti, & probat cuius eſt potentia, ipſius eſt actus, ſed potentia eſt coniuncti, ergo eſt actus. Dico, quod loquitur de ſentire formaliter. quia ſentire formaliter eſt coniuncti, cauſaliter animæ. ſimiliter potentia eſt coniuncti formaliter, animæ cauſaliter. & ſic ſenſus eſt coniuncti formaliter, nō autem cauſaliter. Et ſimiliter quando. 1. de anima text. 66. dicit cognoſcere, amare, odiſſe & reliqua, totius ſunt coniuncti. o Tolete, Ariſto. loquitur de anima in libris de Anima, prout operatur in corpore, & cum phantaſmate, ideò ibi formaliter omnes illæ paſsiones ſunt coniuncti, tamen cauſaliter ſunt in anima, etiā ſi ſit ſeparata; ſed non ut odium, nec vt amor, ſed quid nobilius. Et quando dicis potentia viſiua eſt in anima, ergo viſio, quia vbi potētia, ibi eſt actus, dico, quod vbi eſt potentia formaliter, ibi actus: ſed non vbi potentia cauſaliter, ibi actus. & ſic non ſequitur, vbi potentia viſiua, ergo viſio, bene vbi potentia viſiua formaliter, ibi poteſt eſſe viſio. Sic igitur per iſtam ſolam diſtinctionem formalitatis, & cauſalitatis, omnia argumēta Toleti, & aliorum deſtruuntur, quæ multa alia breuitatis gratia relinquo, cum ſatis ſufficienter, quātum propoſito requiritur, quæſtio reſoluta ſit, & per ea quæ dicemus adhuc, melius fiet lucida, & clara tanquam ſola.

Reiicitur ſecunda concluſio Toleti.

Obiectio per Ariſt.

Reſponſio

Obiectio per Ariſt.

Reſponſio

Alia ratio Toleti.

Reſponſio

Poſtquam declarauimus animam rationalem eſſe non re, ſed per potentias diſtinctā a vegetatiua, ſenſitiua aliiſque virtutibus; & quod potentiæ diſtinguuntur inter ſe formaliter, & non realiter, & ſimiliter ab ipſa anima,

oportet,

oportet, ut ad alias partes declarandas tranſeamus. diximus enim in definitione, quod eſt forma.

Corpus humanum ſpecificans.

hęc particula oſtendit drĩam animarũ cœleſtium, ab aĩabus humanis.quoniam,ſicut ait Marſilius Ficinus.lib.15. de Plat.Thelog.Nullus Peripateticorum eſt,qui non affirmet ſphæras cœleſtes eſſe animatas animabus rationabilibus.Teſtatur id Plato,Plot.Porphyrius,Iamblicus, Proclus,Theophraſtus,Auicena, Algazel.idem fatentur præcipuè omnes aſtronomi Ptolomeus,Abumazar,Zaelis,& Manilius.Et ſic animæ cœleſtis, ſtante horum opinione, vtpotè rationales non informant, corpus cœleſte,ſed mouent,& animæ humanæ rationales corpus humanum informant, & ſic per genus definitionis noſtræ, habemus hanc differentiam. & non inconuenit genus ſubalternũ poſſe eſſe ſpeciem,reſpectu diuerſorum.Item per idem genus manifeſtatur. Quomodo anima rationalis communicat cum omnibus alijs animabus, quoad informationem.quoniam, ſicut animæ vegetabilium, & animalium informant ſua corpora vegetabilia,& animalia:ſic anima rationalis informat corpus humanum, & reponit ipſum in eſſe ſpecifico.nec talis anima rõnalis in hoĩe reperitur, vt multi crediderunt,& vt videbimus tanq̃ Nauta in nauĩ. Dicimus igitur ad declarationẽ huius partis, quod id, qđ dat eſſe alicui põt cõſiderari dupliciter, vel vt ſeparabile, & non eductũ de potentia materiæ, vel vt inſeparabile & de gremio materiæ eductum.Dico,quod illa forma, q̃ dat eſſe alicui rei,per quã illa res ſpecificatur, ſi educaĩ de potentia materiæ,quod corrupta illa re,corrũpitur ẽt forma illa dante eſſe,vt corrupto corpore corrumpitur ẽt forma totius. quoniam illa forma educta fuit de potentia materiæ,vel in animalibus,& vegetabilibus corrupto animali & Planta corrumpitur ſenſitiua, & vegetatiua : quoniam iſtæ formæ intrinſecæ ſunt, & eductæ de potentia ipſius materiæ ab agente naturali. ſed illa forma, quæ non eſt

Dare eſſe ſpecificum dupliciter

educta, non corrumpitur, ut anima rationalis; quæ anima dat eſſe ſpecificum homini, & facit ipſum eſſe hominem ab alijs animantibus differentem. ſed quia ſeparabilis eſt, cum ab extrinſeco adueniat; ideò remanet poſt corpus incorrupta. Vnde non eſt dicendum, vt illi, qui malè intelligunt Ariſto. quod anima ſit tanquam nauta in naui. quoniam Ariſto. cum dicit animam eſſe actum corporis præbentem eſſe, & quiditatem talem, vt ab ea ſeparari, ſe iungique non poſsit, (intellectum excipio, quem quidẽ ſeparabilem eſſe, ac tanquam Nautam in naui poſterius manifeſtum fiet) ibi loquitur dubitatiue, quia eſt in re indeterminata, nec eſt in loco proprio. ideò vult dicere, quod omnis anima præbet eſſe inſeparabiliter, præter animam rationalem. quę quamuis det eſſe corpori, ſeparatur tamen a corpore. & concordatur hoc dictum Ariſto. cum illo in ſecundo de gen. ani. Cap. 3. cum dicit, quod animæ animalium intrinſecus ſunt, & educuntur de potẽtia materiæ: & ideò dant eſſe. ſed ſola mens extrinſecus aduenit, qa creatur, & corpi infunditur, dans eẽ corpi, & ipſum ſpecificãs, & dat exẽplũ de Nauta qm̃ ſicut Nauta, ut diximus, quamuis corrumpitur nauis, ipſa, remanet; ſic etiam anima, quamuis corrumpitur, corpus remanet. & in hoc ſtat exemplum, quoad ſeparationem, qui rectè Ariſt. vult interpretari. Ideò bene Plot. de dubijs animæ primo quartæ Enea. tertio, dicebat. Quod anima nõ propriè ineſt, ſed adeſt corpori: non tamen vt gubernator naui, uel uirtus gubernatiua in gubernaculo; ideſt anima eſt in corpore non tanquam educta de corpore; ſed adeſt, & informat corpus, & non eſt, ut gubernator, qui extrinſecus eſt, ſed intrinſecus dat eſſe, ideſt quod ſeparata anima deſtruitur corpus, quod non fit in naui, quoniam quamuis ſeparetur nauta, nauis remanet nauis. Ita quod ipſa anima corpus ipſum ſpecificat, non quod ex uaria corporis compoſitione ręſultet, ſed quod corpus ipſum compactum uiuificet, atque ſuſtentet, & certè, quod naturæ homine conſentaneum eſſe uidetur: quoniam cum homo ſit omniũ

rerum

rerum mundi perfectiſsimum animal, neceſſarium erat, quód etiam haberet animam perfectiſsimam. & cum debebat contemplari diuina, debebat habere animam diuinam. & cum debebat imperare, & omnibus dominari, & eſſe mundi dominus, debebat ad ſimilitudinem Dei habere intellectum, quo contemplaretur opera ſua, & alijs imperaret. Vnde non eſt mirum, ſi anima dat eſſe corpori, & poſsit potentiis ſuis uiuificare, ſentire, & intelligere, quæ potentiæ, quoniam dependent ab ipſa, eſſentialiter ſunt incorruptibiles. quoniam ipſa eſt incorruptibilis, & ſemper cum habent organa iſtæ potentiæ non impedita, operantur formaliter. quando non habent cauſaliter ſunt in ipſa anima, & perfectiori modo. Vnde merito dicitur Dei imago ipſa anima: quoniam, ſicut Deus nec tangi poteſt, nec auribus percipi, nec oculis intueri: ita anima hominis nec uideri, nec audiri, nec tãgi poteſt. & ſicut Deus ipſe infinitus eſt, & a nullo poteſt compelli: ſic anima libera eſt, & nec cogi, nec menſurari poteſt. tum vt Deus totum hunc mundum, & quicquid in eo eſt ſola mente gerit, ſic illum anima rationalis cogitatione complectitur: atque quod ſoli illi cum Deo peculiare eſt, vt Deus mundum totum ſolo nutu mouet, atque gubernat: ſic anima humana nutu ſolo corpus ſuum agit, atque regit. In confirmationem ſupradictorum habemus Ariſto. multos philoſophos, & rationem Ariſto. enim primo de partibus ani. ait Corpus totum animę gratia conditum eſt, & membra ſingulorum officiorum. Cui adſtipulatur Algazel, qui inquit. Cum mixtio elementorum fuerit pulchrioris, & perfectioris æqualitatis, qua nihil poſsit inueniri ſubtilius, & pulchrius: ſicut ſperma hominis, quod uenit in corpus hominis ex cibis, qui ſunt ſubtiliores cibis animalium, & cibis vegetabilium ex uirtutibus, & mineris, quæ ſunt pulchriores nirtutibus, & mineris animalium: tunc fiet apta ad recipiendum a datore formarum pulchriorem formã formis, quæ eſt anima humana. ergo ſi corpus eſt propter ipſam, ergo actuatur ab ipſa. quę quamuis in ſe habeat eſ-

Quõ a ſit imago Dei.

ſe per

ſe per ſe,& operationem per ſe,& ſit vt intelligentia completa; tamen quia ad corpus ordinatur, ipſi unitur, & ſit pars eſſentialis hominis compoſiti: ita quod ex corpore, & anima ſit unum per ſe: quoniam rationalis anima eſt egens extrinſeco,ut homine,ac ſenſibilibus.& ſic non poteſt eſſe completa in ſpecie, nec totum, ſed omnino pars hominis. & quando Ariſt. dicit 8.met.quod conditio eorum, ex quibus fit vnum per ſe, eſt ut utrumque ſit in potentia,& neutrum ſtet per ſe:dico, quod intentio philoſophi eſt iſta; ſi aliqua ſint actu,ita quod ſint perfecta in natura ſua, ut duo indiuidua eiuſdem ſpeciei non poſſunt facere vnum per ſe. ſi autem vnum eorum ſit actu, & non completum in natura ſua,ſiue habeat eſſe per ſe,ſiue non, dummodo ſit aptum actuare illud potentiale, cui aduenit,non inconuenit; quod conſtituat vnum compoſitum per ſe.& quoniam anima eſt talis,ideo aduenìens corpori facit vnum per ſe, & ſic poteſt eſſe pars eſſentialis compoſiti hominis. Vnde ratio Auerr. dicentis, ſi intellectus eſſet talis corporis actus ex eo, & corpore unum naſceretur,ſed hoc fieri impoſsibile eſt,ſoluitur: quoniam naſcitur vnum non vnitate mixtionis,ſed vnum unitate perfectionis.quoniam anima perficit corpus. quoniam quamuis det eſſe corpori, nihil ab ipſo recipit. Nam recipit a primo agēte proprium eſſe ita proportionatum huic corpori,quod habet informare,quod non alij.quoniam omnis perfectio,& forma vnibilis materiæ recipitur in ea ſecundum capacitatem, & diſpoſitionem materiæ; & ideò in vnoquoque corpore habet determinatum eſſe cōmenſuratum illi corpori: Nam ſecundum doctrinam Ariſto. in ſecundo de Anima, quilibet actus ſit in propria materia. Vnde anima retinet eſſe,quo informabat corpus ſibi impreſſum a primo agente, etiam deſtructo corpore hoc. & ſic dicere,quod quoad operationem dat eſſe, eſt dictum abſurdum.quoniā eſſe dicitur ab eſſentia, ergo non quæritur,ſi per operationem, ſed ſi per eſſentiam dat eſſe.

Auerr. Obiectio

Solutio

A quo aīa recipiat eſſe.

Qđ anima quoad eſſē tiam & nonquoad opatione det eſſe.

Præterea dicit Ariſt.quod anima eſt actus,actus eſt forma

ma eſſentialis, ergo anima dabit eſſe corpori quoad formam eſſentialem,& non quoad operationem.quod confirmans Ari.dr̃ 8.phi.Aĩam eẽ formã ſcd̃m rõnẽ, eſſe autẽ formã ſcd̃m rõnem eſt eſſe formam ratione informationis. quoniam informat per ſuum eſſe.quoniam omne id, quo formaliter nos ſumus quandoque actu, & quandoq; potentia,reſpectu alicuius operationis noſtræ, eſt formaliter,& per ſe forma noſtra,ſed rationali anima nos quandoque ſumus actu intelligentes, quandoque potentia intellectione quæ eſt in arbitrio noſtro,ergo rationalis anima eſt per te,ac vera noſtra forma.Et ſi diceret quis,quod etiam anima animalis eſt actus,dico, quod verũ eſt, quia actus dicitur de animali, & rationali, ſed actus animalis educitur de potentia materiæ, & actus rationalis non educitur.& ideò non ſequitur, ergo ſeparabilis. & ideò bene dicebat Auerr. quod actus ille æquiuoce intelligebatur. Amplius,ſi Philoponus ait.Si intellectus daret eſſe corpori, proculdubio illud eſſe, vel de prædicamento ſubſtantiæ,vel de prædicamento accidentis eſſet.ſi autem hoc eſſe eſſet accidens,vel eſſet accidens ſeparabile, vel inſeparabile.ſi inſeparabile, ergo hoc deſtructo deſtrueretur ipſa anima ſi autem eſſet accidens ſeparabile, homo igitur haberet eſſe per vnum accidens ſeparabile, quod inconuenit.Et ſi de prædicamento ſubſtantiæ, ergo hoc eſſe idẽ erit, cum ipſa forma. deſtructo igitur hoc eſſe, quod deſtruitur corpore deſtructo, anima quoq; corrumperetur. Dico,quod illud eſſe, quod corpus humanum ſpecificat, eſt de prædicamento ſubſtantiæ, & dependens ab ipſa anima,& non a corpore: ideo non ſequitur deſtructo corpore deſtrui eſſe.nec per conſequens,deſtructo eſſe, quod anima corrumpatur. quoniam formaliter deſtruitur, non cauſaliter. quia retrahit in ſe eſſe, cum deſtruitur corpus. & ſic remanet anima cum ſuo eſſe, & vt rem bene intelligas.dico, quod homo non habet eſſe diſtinctum ab eſſe animæ,ſed anima cõmunicat ſuum eſſe homini & quando quæritur, quid corrumpitur quando homo moritur,

Ar. prob. q̃ aĩa det eſſe.

Idem. 8. Phiſ.

Obiectio.

Reſponſio

Confirmatur per Auerr.

Obiectio p Io. Gram.

Reſponſio

Declaratio q̃uo anima cõicat corpe eſſe.

dico,

dico,quod non corrumpitur eſſe animæ homini communicatum. quoniam anima non deſinit eſſe,ſed deſinit cõmunicare ſuum eſſe homini. &,vt ita loquar,retrahit ſuũ eſſe in ſe,vt diximus. Corrumpitur autem per mortem humanitas,quæ dicitur forma totius. Nam ſicut habuit eſſe ex vnione animæ ad corpus, ſic deſinit eſſe per receſſum animæ à corpore. Ideò bene Thomas contra Auerr. arguens dicebat, quod ſi homo reponeretur in eſſe ſpecifico,prius per vnam formam corruptibilem,poſtea intellectus,illi aſsiſteret. ſequeretur, quod intellectus intelligeret,non autem homo.& hoc,quod cum Socrates ab intellectu aſsiſtenti,cum ſit agens extrinſecum,non habeat eſſe,non habebit etiã operationem ipſius. nec valet dicere cum Auerr. non eſſe intelligendum intellectum penitus ſeparatum,ſed eſſe vnitum ratione operationis:quoniam inquit Thomas, cum homo intelligat vel ſecundum ſe totum,vel per partem,vel per accidens,ſecundum ſe: totum autem non poteſt dici, quod intelligat, cum homo non ſit anima,vt ait Plato,ſed conſtet ex anima, & corpore.nec per accidens,cum intelligere ſit propria operatio. ergo intelligit per partem. hæc autem pars, cum non ſit materia, erit igitur forma eſſentialis dans eſſe. nec eſt dicendum,quod homo quamuis intelligit per partem, quæ eſt forma,non intelligit per formam dantem eſſe:quoniã dico,quod intelligit per formam dantem eſſe, vt ſuperius diximus. quæ forma non a corpore dependet,nec ex eius complexione reſultat; ſed ipſum ſuſtentat;ideò cum a corpore non dependeat, per ipſam poteſt etiam intelligere. Nec dicendum eſt,cum S. Thoma, quod anima quamuis habeat plures potentias, & facultates, per vnam tantum corpus excedit; & quod aliæ ſunt corruptibiles,quod volens comprobare,dicit.Non eſſe mirum, quia res quanto magis materiæ proximæ ſunt, eo ſunt imperfectiores, quanto magis a materia remotæ tãto maiorem perfectionem ſibi uendicãt. ſicuti magnes,qui poſt acquiſitam mixtionem cœli beneficio,acquirit poſtea proprietatem illã.

[Margin notes: Confirmatio per S. Tho.cõtra Auerr. — Defenditur Auer. — Redarguitur defenſio a Tho. — Obiectio — Reſponſio — Reiicitur Tho q. potẽtias corruptibiles facit præter intellectiua. — Fũdamẽtũ S. Thomæ]

ita

ita profecto anima humana multo,ac multo magis excellens magnete,hanc potentiam,qua mediante, corpus excedit,a ſuperioribus acquirit. Vnde inquit Albe. propter proximitatem, quam habet anima cum ſuperiorib. videtur ſibi hoc vendicaſſe,ut habeat potētiam hanc, per quam a corpore ſit ſeparabilis, dico, quod non per hanc ſuam imaginariam potentiam, ſed per eſſentiam eſt ſeparabilis a corpore.quia illæ potentię proueniunt a forma nō educta de gremio materiæ,ſed à forma æterna,& incorruptibili, quæ non per potentiam vnam ſeparatur a corpore, ſed per propriam eſſentiam, & per eademmet dat eſſe corpori.Nam ſi verū eſt,quod dicit S.Thomas,peto ab ipſo vtrum potentia hęc,qua inquit animā corpus excedere ſit ipſamet animæ eſſentia, vel ſubſtātia, vel potius aliqua proprietas, ſeu qualitas, & potentia naturales animæ. ſi primum,dicit, quod ſit ipſamet animæ ſubſtantia; modo cum per te anima ſit actus, & corpori det eſſe, ergo hæc quoque potentia erit actus,& corpori præbebit eſſe.Quo modo igitur amplius corpus excedit? Si verò ſecundum affirmet,quod ſit proprietas,qualitas,ſeu animę facultas: ſequitur poſtea,quod accidentia propria eſſent magis abſtracta,quàm ſuum ſubiectum. Quod autem addit philoſophum a 19. vsque ad 21. dicere quaſdam potentiarum animę eſſe inſeparabiles,vt in ramis deciſis,& Enthomis, quaſdam alias tamē nihil prohibet ſeparari, quia nullius corporis ſunt actus, ecce inquit Thomas, quo modo ex Ariſt potentia aliqua ipſius animæ ſeparabilis eſt, & corpus excedit, atque eius actus non eſt, tametſi in corpore ſtet Dico, quod ibi Ariſt. ponit diferentiam inter potentias,quæ a forma educta de potentia materiæ proueniunt, & potentias illas,quæ a forma nō educta materiæ veniūt; & ideò dicit has ſeparari, & non eſſe actus corporis, ideſt ex corpore reſultantes: quamuis ſint actus animę ab extrinſeco aduenientis corpus ipſum eſſenſificantis. Quod autem nititur perſuadere iure animam proprietatē hanc habuiſſe,cum res quoque,quæ materiales ſunt,atque anima

Cōfirmatio p Alb.

Reiicitur.

Ari. auth. p S. Tho.

Declarat Ar. contra S.Tho.

ma inferiores, veluti eſt magnas, e cœlo huiuſmodi proprietatis conſequantur. Reſpondendum ſanè eſt, proprietatis, quæ in compoſitis rebus naturalibus reperiuntur, uel a materia proxima, vel a forma rerum ſpecifica ſecundum Alb. originem trahere. Non autem ab elementis earundemque qualitatibus prouenire, vt Alexander, nec ab Idæis rerum formatricibus, vt Academici cum ſuo Platone. nec ab intelligentijs, vt Auicena, nec a ſtellis, vt Hermes quoniam ſi cauſa proxima, & propinqua dari poteſt, ad quid cauſas ignotas, & remoras quęrere? Ita quod, vt ad propoſitum redeamus, dico, quod per Animam rationalem homo eſt homo, & habet eſſe ſpecificum, quæ anima, cum plures potentias habeat, vt diximus; & quod principaliter per cogitatiuam, quæ eſt facultas quędā animæ rationalis homo componit, & diuidit, & particulariter diſcurrit: ideò dicitur ab Auer. & Simpl. in prologo de Anima, & S. Thoma 13. quæſt. diſp. de anima, ipſam cogitatiuam eſſe formam illam vltimam, a qua homo habet eſſe ſpecificam; & ipſum fecerunt corruptibilem, & eductam de potentia materiæ. Sed ego dico primò, quod non per potentiam, ſed per eſſentiam dat eſſe corpori anima, quia communicat ſuum eſſe corpori, & ut dicit Marſilius Ficinus in lib. 15. de Plat. Theol. ſi anima cœleſtis, quæ ſublimior eſt humana, cōiungitur corpori ſuo, ſine medio, ita ut ſit forma eius, quod habet opus mens cogitatrice, vt ſe coniūgat homini, & ſit forma corporis? Anima enim iungitur corpori, non per mixtionem, nec per cōtactum, nec per incluſionem in eo: ſed per penetrationem per totum, & operationem coniunctam. Secundo, male dixerūt eſſe corruptibilem. quoniam omnes potentiæ animæ, ut diximus, ſunt incorruptibiles: quia non a corpore, ſed ab ipſa dependent, & corrumpuntur formaliter, ſicut dicit Ariſt. quod intellectus paſsiuus corrumpitur, intelligendo ſecundum omnes exponentes, excepto ſimplicio, de cogitatiua, quæ corrumpitur formaliter, non autem cauſaliter. quoniam redit in ſuam eſſentiam, a qua dependet.

Quare ponitur cogitatiua ab Auer. Simpl. & S. Tho. forma hoīs. Reiiciunt. Confirmatur cū M.

Et

Et quando dicunt Auerroem, Themiſtium, Simplicium, Ioannem Grammaticum, Theophraſtum, & Gregorium Niſſenium affirmare animam intellectiuã aſsiſtere ſicut nautã in naui, & non dare eſſe. Dico, quod ſi intelligerent de intellectu agente vniuerſali extrinſeco aduenienti, q̃d rectè dicerent, quia talis intellectus nõ dat eſſe, ſed aſsiſtit, cum iam homo per animam rõnalem habeat eſſe. ſed ſi in telligunt de anima rõnali dicentes, quod corpus non eſt animæ pars, ſed inſtrumentum, & mobile; dico, quod malè intelligunt: quoniã ipſa dat eſſe corpori, & nõ aſsiſtit. & ſimiliter illi, qui dicunt cogitatiuam eſſe virtutem quandam præſtantiorem ſenſitiua aliorum animalium, malè philoſophantur cum Ariſt. quoniã cogitatiua, vt diximus, eſt virtus animæ rationalis, quæ non corrumpitur in eſſentia, ſed formaliter tantum. Op. Auer. Th. Simp. Phi. Theoph. & Gre. Niſſeni de aia ſi aſsiſtat uel informet.

Præterea, nonnè Scotus dicit. ſi definiamus hominem, dicemus hominem eſſe rationalem, cui aſſentire videtur Auer. 3. de anima primo 12. met. 38. & 10. eth. 9. qui dicit, quod per virtutem rationalem homo ab alijs animalibus differt. Idem in paraphras. in Rep. Plat. tract. ſecundo imaginatio, quę cogitatione, & ratiocinatione agitur, ſoli homini eſt propria. Et Alex. ſecundo naturalium quęſt. 13. ſolus animalium homo eſt rationalis, & cõſultandi vim habet. ergo cum rationalitas faciat diſtinguere hominem ab alijs, & ponatur in definitione, debet dare homini eſſe, ergo non aſsiſtet. Rõnes Scoti cũ auth. Auerr. Alex.

Præterea id a quo ſumitur differentia ſpecifica, ac propria alicuius, eſt forma vera, ac propria illius. ſed rationalis anima eſt huiuſmodi: rationale enim vt Auerr. inquit 7. met. com. 11. eſt differentia exiſtens in quid eſt eſſentia animalis rationalis, & hoc idem ſentire videtur in 4. phiſ. com. 24. homo enim, inquit, componitur ex duobus ſubiectis, vt animalitate, & rationalitate, & in ſecundo, de anima com. 152. inquit Ariſto. accepiſſe tanquam famoſum hominem differre ab animalibus alijs per intellectum, vt in comm. primo tertij inquit. Nec oportet gloſa-

re Scotum, & dicere, quod rationale vnum ſignificat, alterum connotat. ſignificat enim ſupremam illam hominis virtutem, quæ cogitatiua appellatur, per quam homo eſt generabilis, & corruptibilis. Nam dicit Auer. 3. de anima 33. virtus cogitatiua non eſt intellectus materialis, neque intellectus, qui eſt in actu, ſed eſt virtus particularis materialis, & eſt virtus in corpore, & corrumpitur, & per hanc ſolum homo eſt generabilis, & corruptibilis. Cõnotat autẽ intellectum rõne vnionis, quã habet forma cũ forma, Neſcio quomodo ſcriptores nõ erubeſcant ponere hanc gloſam, quoniam dico, quod homo non eſt generabilis, neque corruptibilis per cogitatiuam; nam cum homo cõſtet ex anima, & corpore per animam, non corrumpitur, cum non ſit educta de potentia materiæ, ergo per corpus, quoniam corrumpitur forma totius. deſtructo enim corpore, anima euolat ad ſupera, & cogitatiua, tanquam potentia ſua in fontem animæ reuertitur, & non extendit anima rationalis poſt mortem vires ſuas, cum ſit ſine corpore, quo operabatur formaliter; quæ corruptio non eſt reſpectu ipſius animæ, & cogitatiuæ, ſed reſpectu inſtrumentorum, quæ anima amplius non habet, mediantibus quibus cogitabat, & particulariter diſcurrebat. quamuis vniuerſaliter cogitet particulare; quia in corpore diſcurrebat, vniuerſalia particulariter poſt mortẽ diſcurrit particularia vniuerſaliter non diſcurſu a præmiſsis ad concluſiones, ſed diſcurſu intellectuali, & intuitiuo. ſed ſi aliquis inſtaret dicens, fruſtra eſt in aliquo virtus aliqua, quã

Inſtantia. exercere non poteſt. ſed ſi poſt mortem in anima rationali eſt talis virtus cogitatiua, ergo fruſtra, cum non poſsit eam exercere. dico, quod eam exercet vniuerſaliter, & in anima eſt ipſa cauſaliter, ſicut cœteræ potentiæ: quamuis

ſponſio non ſint formaliter, & ſufficit, quod quantum ad potentias materiales fuerint in exercitio, pro præſenti vita, & pro ſtatu alterius vitæ, ſint eminentiori modo ſi non formaliter, tamen cauſaliter. & quod propria operatio, quę eſt intelligere, operetur tantum, quoniam hac anima

per-

perficitur, aliæ vero datæ fuerunt, vt cum corpore operarentur, & in hac uita. Quid ſit hoc eſſe formale, & cauſale, per Exemplum declaro. Sciendum, quod ſenſibilium qualitatum quædam ſenſu ipſo percipiuntur, quædam intellectu, & diſcurſu; illæ quidem ſunt formaliter in illis entibus, quæ ſentiuntur. hæ uerò non formaliter, ſed tanquàm in cauſa, ut de calore, & ſenſu quidam dixerunt eſſe hæc in cœlo, & quidam non; dico quod omnes uerum dixerunt. Nam calor, & ſenſus ſunt in eſſe cauſali in cœlo, ac in inferioribus in eſſe formali. cum enim omne inferius ſit in ſuperiori, neceſſe eſt etiam calorem eſſe in cœlo. Pariter particularia, quæ cogitatiua diſcurrebat in corpore poſt mortem, non vt particularia: ſed ut vniuerſalia diſcurrit. cum ipſa non poſsit amplius formaliter operari, ſed ſit in ipſa anima cauſaliter: ideò ſicut in ipſa ſecundum eſſe perfectius eſt cogitatiua, ſic ſecundum illud eſſe cogitat particularia, ſcilicet in eſſe cauſali, & vniuerſaliter, & ſic nō ſequitur cogitatiue corrumpitur formaliter, ergo homo eſt generabilis, & corruptibilis per ipſam; quoniam uerum eſſet, quod homo per cogitatiuam eſſet corruptibilis, dummodo, ut diximus, a forma, quæ per generationem educitur, ipſa cogitatiua proueniret; ſed prouenit ab anima rationali, quæ incorruptibilis eſt. unde ex text. 65. & 66. 1. de anima elicitur quid ſit formaliter corrumpi, & quid eſſe cauſaliter incorruptibile, vt in nouo ueritatis lumine annotauimus. Et quando dicit Rationalitas, connotat intellectu ratione vnionis, quam habet forma cum forma; dico, quod intellectus, quem dicis cōnotare, uel eſt idem cum anima rationali, uel extrinſecus adueniens; ſi primum bene intelligis, & nihil contra nos. ſi ſecundum, malè: quoniam anima rationalis non connotat nihil, quod ſit extra eſſentiam ſuam. Vnde benè per rationalitatem Scotus probauit animam non aſsiſtere, ſed dare eſſe & iure merito, nam, ut ipſe dicit, eſt propoſitio nota per naturam, quod homo eſt rationalis. Prætea arguo contra illos, qui ponunt cogitatiuam. Si cogitatiua

Quid ſit eſſe cāle, & formale.

Arg. cōtra illos qui dicunt cogitatiuam dare eſſe ſpecificum homini.

tatiua eſt illa, quæ dat eſſe, & quod homo ſit in eſſe vltimo, & ſpecifico ab ipſa repoſitus, ergo intellectus cum ei aduenit ille extrinſecus eſſe dicitur, ergo per accidẽs homo intelliget. quod eſt inconueniens, cum homo per animã rationalẽ intelligat, & per eã habeat eſſe; quoniã anima rationalis habet eſſe quod communicat corpori. et ſic quando intelligit homo non per accidens intelligit, quoniam uirtus intelligendi non eſt ab extrinſeco adueniẽs, ſed intrinſecus in ipſa anima creata, quando corpori infunditur; ſicut virtus cogitandi, ſentiendi, & aliarum uirtutum. Et quando arguunt dicentes, ſi intellectus daret

Obiectio. eſſe ſpecificum corpori, ſequeretur, quod homo eſſet generabilis, & corruptibilis per vnam formam æternam; vel ſequeretur, quod homo corruptibilis eſſet per materiam tantum, non autem per formam, quod certè eſt impoſsilẽ. ad hoc ſuperius reſponſum dedimus, quod homo non eſt corruptibilis p animã æternã neque per cogitatiuam

Reſponſio eius potentiam, ſed per corpus; & quando dicũt, ergo per materiam, negatur conſequentia: quia corpus habet ſuã formam totius, qua deſtructa, deſtruitur corpus; & per cõſequens anima non communicat amplius eſſe corpori,

Obiectio ſed ſe ipſum retrahit, ut diximus. Præterea cum dicunt, ſi intellectus daret eſſe ſpecificum, ſequeretur, quod agẽs naturale non eſſet uniuocum. homo autem hominem

Reſponſio debet generare. modo ſi illa forma eſt æterna, non eſt educta ab agente de materia. Dico, quod homo diſponit materiam, qua diſpoſita ſubito, & in inſtanti per creationem

Obiectio Deus inducit, & infundit animam, quæ dat eſſe corpori. & ſi dicerenr, hoc non ſufficit, quia ſi debet eſſe agens uniuocum, oportet, quod educat illam formam, per quam re-

Reſponſio ponatur in eſſe ſpecifico. dico, quod uerum eſt, quod agẽs educit formam illam de materia, quando illa forma eſt materialis, & non immaterialis. quoniam cum corpus ge-

Confirmatur per M. neratur, ſtatim creatur, & infunditur. quæ infuſa communicat eſſe ſuum corpori, & ſpecificat illum. Nam, ſicut ait Marſilius Fic. lib. 15. de Plat. Theol. oportet in genere di-

uinorum

uinorum, ſicut eſt aliquid ſupremū ab omni materia ſeiū ctum: ita eſſe aliquid infimum materiæ coniunctum, id e rit mens humana, ergo ſi mens humana coniungitur tanquam diuina corpori, & materiæ, ergo dabit eſſe. Hoc idem confirmat Io. Picus, in concluſione prima ſecundum Hammonium; nam dicit. Definitio animę, quod ſit actus &c. cum de rationali, de qua principaliter intelligitur, accipienda eſt cauſaliter non formaliter, id eſt dicendum eſt, quod non per potentias aliquas, per quas formaliter operatur anima, ſed cauſaliter, ideſt per eſſentiā eſt actus, i. infirmans corpus, ſed ſeparabilis a corpore. Ex his igitur patet, quàm malè philoſophati fuerunt multi: & quoniam multa abſurda dixerunt, quoniam radicem rei, & verba Ariſt. verorumq; philoſophorum non intellexerunt. Præterea manifeſtus error illorum, qui argumentabantur, inſcienter dicentium, Anima dat eſſe, ergo materialis declaratus ſuperius fuit, quoniam dat eſſe, ſed non recipit eſſe. quoniam ſuum eſſe eſt a ſeipſa, quæ immortalis eſt, & a corpore ſeparabilis. Illi verò poſteà, qui tenent mortalitatem animæ, quàm malè ſentiant, ex dictis noſtris ſatis ſuperque conſtat. Vnde firmiter tenendum eſt, Animam rationalem dare eſſe homini, & eſſe formam corporis. & cum ſit mediæ naturæ, cum eſt in corpore operatur cum corpore, & poſt mortem retrahit eſſe, & omnia in ſe; ſicut quando vnitur materiæ, communicat eſſe materiæ: & tamen non comprehenditur a materia. & quoniam nō comprehenditur a materia, poteſt uniuerſaliter intelligere; quæ vnio animæ cum corpore non eſt ſecundum potentias, & virtutes, ſed ſecundū eſſentiā, & ſecundum diuerſas uirtutes, & potentias operatur in corpore. & quia eſſentia non dependet a corpore, nec virtutes, ideo cum ipſis ſeparatur poſt mortem a corpore. Et quādo Abubacher dicit, quod omnis forma in materia recepta determinatis diſpoſitionib. nō operaẽ, niſi ſcd̃m exigentiā taliū diſpoſitionū; ſed rōnalis anima nō operaẽ determinatis diſpoſitionibus, ergo non eſt in materia me- dian-

Idem Io. Pic.

Obiectio Abubacher.

Reſponſio diantibus illis. Dico, quod verum eſt de forma, quæ educi tur de potentia materiæ, & quod ſecundum omnes gradus eſt a materia comprehenſa. ſed rationalis anima non eſt ſic, quoniam ſeparatur a materia, & ſi iterum inſtat di-
Obiectio. cens, quod omnis natura intelligens ſeparata a materia, ſecundum dependentiam ad eam, eſt ſimpliciter ſeparata. ſed intellectus eſt talis, ergo eſt ſeparatus, ergo nõ dat eſ-
Reſponſio ſe, nec eſt forma. Dico, quod quamuis Rationalis anima non dependeat a materia, eſt tamen actus in materia, atq; perfectio, cum ſit ens incompletum, vnibile materiæ. & quamuis ſit forma corporis, non tamen immergitur corpori. & ſecundum propriam operationem, quæ eſt intelligere, non eſt nullius corporis partis actus, & ideo nec pes, nec manus intelligere poteſt, & etiam cum eſt ſeparata. & ſi non actu eſſe ſpecificum materiæ communicet, potentia tamen, & aptitudine ei non repugnat. Et ſi quis dice-
Obiectio. ret, omnis forma, quæ ad ſui exiſtentiam in materia, requirit determinatas diſpoſitiones, corrumpitur illis corruptis; ſed rationalis anima ſi dat eſſe, & ſpeciem, nomen ac definitionem homini, requirit determinatas diſpoſitiones, & proprias pro ſui eſſe in materia, ut Ariſto. inquit
Reſponſio in his, quæ contra antiquos ait, ſecundo de Anima, ergo rationalis anima generabilis, & corruptibilis. Dico, quod anima rationalis non eget diſpoſitionibus pro eſſe ſimpliciter animæ, ſed pro eſſe eius in materia. & maior eſt vera, quando illa forma habet idem eſſe ſimpliciter, & eſſe in materia. nec ualet dicere, quod maior illa eſt principiũ in philoſophia: quoniam verum eſt, quod eſt principium, quoad formas eductas de potentia materię, non autem de formis a materia independentibus.

Confirmatur pro Aue. veritas Præterea dicit Auerr. Tertio de Anima com 18. quod homo habituatur habitu intellectus, ergo erit intellectus forma hominis, quoniam omne compoſitum habituatũ habitu proprio alicuius formæ, habet eſſe ſimpliciter ac
Alia ratio nomen, & definitionem ab ea. Amplius, unus eſſentialiter eſt unum per formam conſtituentem id in eſſe, ut in ſe

cundo

cũdo de anima com.7. ſed homo eſt unus eſſentialiter, ergo eſt unum per formam, quæ rationalis eſt anima, quod homo ſit unus, cõſtat 7.met. com.42, ac 12.met.com. 49. Adhuc omne uiuens uita aliqua per aliquam formam, eſt formaliter illa forma: uiuere enim uiuentibus eſt eſſe, ſed homo uiuit uita intellectiua per animam rationalem, ut oſtendit Ariſt. in 12.ſapientiæ, & Auer.com.39.& in ſecũdo de anima, ergo per animam rationalem reponitur in eſſe ſpecifico Non nè Ari. primo Eth. ac decimo ait, quod intelligere, & uelle ſunt formaliter in nobis, quod etiam cuilibet conſtat, ergo & rationalis anima, a qua fluctuant, erit formaliter in nobis? Non nè etiam homo intelligit inquantum homo, ſed per rationalem animam homo intelligit, ergo homo habet rationalem animam inquantũ homo? Præterea homo intelligit, mouetur, & operatur per rationalem animam, ergo habet eſſe ab ea. Etiam Auerr. in 3.com.57. ait, quod ſenſitiuus appetitus attrahit rationalem animam quandoque ad ui conſenſum, ergo non erit rationalis anima penitus ſeparata a materia. Quid ait Auicenna in 6. Naturalium parte quinta in calce capitis primi? Intellectus verò actiuus eget corpore, & uirtutibus corporalibus ad omnes actiones ſuas: Contemplatiuus uerò intellectus eget corpore, & uirtutibus eius, ſed neque ſemper, neque omni modo: ſufficit enim ipſa per ſeipſam: nihil autem horum anima eſt humana, ſed anima eſt id, quod habet alias uirtutes, & eſt ſubſtantia ſolitaria, ideſt per ſe, quæ habet aptitudinem ad actiones, & reliquas. Et quamuis anima differt a corpore, ut corruptibile ab incorruptibili, non tollitur quin ſit forma eius; quoniam utrunque eſt ens incompletum cum aptitudine ad unionem, propter perfectionem ſuam. & ſic quamuis ſint diuerſa per eſſentiam; tñ quia vtrunq; naturaliter ſunt pars hominis, ideò neceſſario uniuntur. Et quamuis corpus aduenit ei, non dicitur eſſe quid accidentale, qm̃, ut diximus, anima cũ ſit ens incompletum, & corpus etiã ipſum quod aduenit ei ad cõpletionem ſpeciei: dicitur.n.

Alia ratio

Alia per Ariſt.

Alia ratio

Alia ratio

Alia ratio Auerr.

Auicenna

ens incompletum non ratione ſuæ eſſentiæ, ſed ratione aptitudinis,quam habet ad corpus & vnibilitatem. quæ anima, quamuis habeat relationem ad corpus, non tamen perit pereunte corpore. quoniam eſſe animæ a Deo,eſt,vt diximus,& non ab agente natuıali, & licet per ſe ſubſiſtere poſſet, non tamen per ſe habet ſpeciem completam. Vnde non poſſet eſſe,quod animæ ſeparatæ conſtituerent vnum gradum entium. & ſic licet poſſit per ſe eſſe,non tamen poteſt in complemento ſuæ ſpeciei eſſe ſine corpore.& quamuis eſſe animæ communicetur corpori,non tamen corpus attingit ad eſſe animæ participandũ ſecundum totam ſuam nobilitatem,& virtutem.& ſic anima tota eſt forma ſubſtantialis totius corporis, non ratione totalitatis potentiarum, ſed per ipſam eſſentiam animæ. Vnde nulla potentia poteſt eſſe ſubſtantialis forma alicuius corporis partis; potentiæ enim animæ dicuntur partes non eſſentiales, ſed uirtuales. Et diſpoſitiones quantitatis, & qualitatis non ad eſſe animæ ſimpliciter,ſed ad eſſe eius vnum, quod habet in compoſito ordinantur. Vnde anima conſequitur ſubiectum,cuius eſt unio. & poſita enim materia diſpoſita, & rationali anima conſurgit vnio,qua rationalis ſit pars compoſiti,& ens vnitum;& ſic rationalis anima non conſtituit compoſitum ſecundum eſſe ſimpliciter,ſed ſecundum eſſe vnitũ; quoniam rationalis anima, & materia non conſtituunt compoſitum, niſi vnita ſint, & ſic anima idem eſſe habet poſt, & ante loquendo de eſſe quod acquirit ab ipſo Deo in creatione, quamuis in compoſito habeat eſſe completum,poſt remanet ſigillum complementi, & habet aptitudinem,ut diximus ad omnes operationes, quas in corpore fungebatur perfectiori modo. & quando eſt in corpore per accidens,anima rationalis impeditur a corpore, cum tamen per ſe iuuatur, cum mediante corpore phantaſietur, & diſponatur pro intellectione, & ſic unitur ei propter operationem,ut omnes peripatetici concedunt. Non ergo erit anima forma corporis, ut formæ elemento-

rum,

rum, quæ ſecundum eſſe, ſecundum operationem, ac ſecundum opus materiæ ſe immergunt. nec forma, quæ ſecundum eſſe, & opus corpus excedat, ac materiam, ut animę animalium cœleſtium, quæ a magnitudine non cõprehenduntur, nec a corpore conſtituuntur, quamuis corpus conſtituant, ac agant: ſed erit forma, quæ partim in materiam ſe immergit, ac partim ab ea ſoluitur, cum anima rationalis poſita ſit in Orizonte æternitatis, quæ anima corpori ſe immergit: quoniam ſecundũ eſſentiam, ut probauimus, materiæ, ac corporis eſt actus, partim a materia ſoluitur: quoniam à materia non dependet, nec educta eſt de gremio materiæ, nec eleuatur a materia, ſicut ait S. Thomas per virtutem excedẽtem, quam habet, ſicut Magnes: quoniam hoc redarguimus, cum anima de ſui natura ſit media, & ens incompletum, ideo unibilis materiæ. & cum ſit ſecundum ſuum eſſe a materia independẽs: ideo eleuatur a materia, & ſic non rationis alicuius virtutis ſed proprię naturę excedit corpus, & ab ipſo ſeparatur. In illa parte igitur, quod S. Tho. Alex. Aegid. & alij Latini dixerunt, quod anima rationalis eſt corpus informans, & forma informans, & ſecundum ſubſtantiam forma corporis, bene dixerunt. Similiter Mirandulanus lib. 32. de Euerſione ſingularis certaminis ſect. 1. & lib. 33. ſect. 2. & 6. Et Achillinus lib. de intelligentijs quodlibet 3. dub. 2. & 4. dicentes, animam rationalem eſſe vnam non aſſiſtentem, ſed informãtem, quoad dictum de informatione rectè dixerunt. Vnde, quamuis ſæpe ab Ariſto. dicatur intellectus ſeparatus, & purus, dicitur non quia ſit per ſe ſubſiſtens, ut malè intellexerũt multi, & falſo ſed quia poſſet, per ſe ſubſiſtere, & non ſit virtus organo alligata, neque inhęrens corpori, hoc eſt ita ab eo dependens, ut non poſſit ſeparari, & inextẽſa, & immaterialis, & quia intelligere nõ exerceatur a corpore, neq; etiam a compoſito immediatè, ſicut ſentire, ſed ab ipſamet anima. Et ſi quis diceret, ſi intellectiua anima ſecundum ſubſtantiam informat, uniturq; materiæ, illa vnio uel eſt ſubſtantia ipſius animæ, uel accidens

Reiicitur S. Tho.

Rectum latino rũ de informatione aiæ.

Q̃uo dicatur ab Ar. intellectus ſeparatus & purus.

Obiectio

Reſponſio dens.ſi ſubſtantia,ergo remota vnione non manet animę ſubſtantia,& ſic corrumpitur. Dico ergo, quod unio eſt ſubſtantialis forma per creationem, & non per generatio nem,uel mixtionem, qua remota manet ſubſtātia animæ, quia eſt ens incompletum,& ſeparabile, & ex duobus incompletis fit vnum per ſe,quod eſt unio : qua remota, remanet corpus corruptum, quia eductum de potentia materiæ, & anima incorrupta, quia non educta de potentia materiæ.& ſic remota vnione non manet animæ ſubſtantia.valeret in entibus completis vnitis, non in incompletis. Franciſcus Toletus in hac ſolutione cum intellectu

Reiicitur Toletus. tranſcendens dicit, quod vnio in eo quod cōſideratur pro mutua habitudine coniunctorum, quæ dicitur reſpectus quidam tranſcendētalis,quod talis eſt ſeparabilis ab anima rationali, ſed tunc non manebit in materia. verè hæc ſolutio eſt totaliter tranſcendens, nō ſolum intellectum, ſed logicam Ariſt.ad quid logicaliter ſoluere,quod ex natura rei ſolui poteſt?ex natura animæ hoc poteſt ſciri.quoniam cum anima ſit natura incompleta, & vniatur cum corpore incompleto, ut ex his fiat vnum completum, & per ſe,manifeſtum eſt,quod talis unio eſt ſubſtantialis, & quod poteſt manere unū ſine altero, ſcilicet anima, quia à corpore non dependet. Ad quid ergo inuenire reſpectū

Nimia latinorum acuitas. tranſcendentalem? Certè quod Latini multoties à auitate ingenij ſui non ſolum tranſcendunt aliquando Ariſtotelis prædicamenta,ſed etiam prædicamentorum tranſcēdentia. Præterea,quando dicunt,ſi anima intellectiua eſt forma informās,ergo in homine nulla alia eſt forma ſubſtantialis,niſi iſta,ergo non corrumpitur, ſed eſt quædam ſeparatio. Toletus dicit. Non enim materia,non forma producitur,uel corrumpitur,ſed compoſitum.quomodocunque autem compoſitum non ſit, ſiue corrupta forma, ſiue recedente,dicitur corrumpi.

Ego dico, quod quamuis anima ſit incorruptibilis, & ſit forma ſubſtantialis:quia eſt ens incompletum, non ſequitur, quod etiam materia,& corpus ſit incorruptibile,

quia

quia corrumpitur forma corporis, quæ eſt humanitas. & ſic corrupto compoſito, anima ſeparatur. Et ſi dicunt, ſi eſſet forma, non poſſet eſſe ante corpus, ſed neceſſario deberet de nouo produci; hoc autem eſſe non poteſt: nam ſequitur, quod eſſet corruptibilis. Nam ſecundum Ariſtot. quod incœpit eſſe, non erit perpetuum. Dico, quod verũ eſt, quod incœpit eſſe per generationem, non per creationem: anima verò creatur. deinde anima non habet in ſe materiam, ratione cuius corrumpi poſſit: quia ſuperabundatur a ſua forma, nec eſt in corpore tanquam in materia, quia ab ipſa dependeat; nec diuiſibilis niſi per accidens, & reſpectu corporis; nec eſt ſicut cœterę formę, ſed habet participationem, cum ſit mediæ naturæ cum incorporeis ſubſtantijs, quatenus per ſe eſſe poteſt. ideòque potentias quaſdam habet non organicas. Nec ob id dicuntur abſtractiores potentiæ, quàm anima, quia licet non ſint organicæ, non tamen ſunt per ſe, ſed ſunt in ſubiecto, ſcilicet anima; res autem magis abſtracta eſt, quia magis per ſe eſſe non poteſt. Quis ergo ille erit, qui de informatione animæ amplius dubitabit? niſi ille, qui Ariſt. ignorabit, & omni uelo ignorantiæ obtenebratus erit. Nonnè dixit Ariſt. 1. de Anima 66. quod idem eſt principium ſentiendi, & intelligendi eſſentiale, ſcilicet intellectus erit profectò forma informans, nam principium ſentiendi non poteſt eſſe abſtractum, cum ſentire ſit compoſiti, & totius? ergo non per cogitatiuam, ſed per intellectum diſtinguitur ab alijs animalibus. Deinde quare 1. eth. Cap. 7. ponit beatitudinem in operatione propria hominis, ergo non in vegetatiua, non in ſenſitiua, quia hæ ſunt communes, ergo in ſola rationali, ergo hæc eſt propria, per quam diſtinguitur a brutis.

Obiectio.

Reſponſio.

Auth. Ar. de informatione animæ rõnalis.

Non eſt igitur quærendum, ut ait Ariſtot. quomodo ex anima, & corpore fiat vnum per ſe, cum alter ſit ſicut materia: alter ſicut forma. ergo anima informat materiam, & corpus. Cum ergo, ut ait Sanctus Thomas, & Alber. operatio propria non poſſit eſſe, niſi a propria forma

Argum̃ S. Th. & Al.

forma dante eſſe rei, & intelligere ſit hominis operatio propria, ergo a forma dante proprium eſſe prouenire debet, ergo eſt forma informans intellectus. Nonnè, ut ait Alexander in lib. de anima ſuo Cap. 8. homo per animam delectatur, & mouetur, iracundus, & meticuloſus eſt, amat, odit, addiſcit, & intelligit, reminiſcitur, mandatque memoriæ? & non alia de cauſa hæc agit, quàm quod eiuſmodi perfectione, ac ſpecie prædirus eſt. ergo rationalis anima forma eſt corporis, in qua ſunt virtutes pluri-mæ; vt ait Cap. 10. & per quam id habet homo, ut rationalis uocetur, ut ait Cap. 13. ergo eſt forma corporis. Reijciantur ergo illi, qui hominem non intellectu diſtingui ab animali bruto tanquam per differentiam ſumptam a parte, ſed per animationem propriam, quæ ab intellectu pēdet, quemadmodum illuminatio a luce. quam animationem cogitatiuam eſſe crediderunt aliqui. ſed ſecundū veritatem dicendum eſt, rationalem animam dare ſpecifi cum eſſe corpori, & non tantum corpori accommodari, vt motor, & vtens: Verum vt forma, & perfectio, quemadmodum vidimus. Et ſi adhuc dicerenr. Si informat, & eſt ſingularis per materiam, ergo non recipit ſpeciem niſi ſingularem. Dico, quod eſt, vt ens incompletum ſingularis per materiam, ſed tamen non eſt cum materia, ſicut ſenſus, quia non coniūctum immediate intelligit: ſed anima & eius intellectus. totum autem per animam, & ſic obſtaret ſingularitas, ſi eſſet cum materia coniuncta ſicut ſenſus. ſed quando eſt per materiam, poteſt ab ipſa ſeparari: quia informat ut actus ſeparabilis, & incompletus perficiens aliud incompletum, quod eſt corpus. Et quamuis dicatur intellectus impaſsibilis immixtus, & ſeparatus, non propter hoc dicitur aſsiſtens, & non informans: quia eſt impaſsibilis, quia non patitur paſsione corruptiua; eſt immixtus, & ſeparatus, quia non eſt affixus organo, nec utitur organo, quamuis ſit actus corporis, & informans corpus. ſed eſt actus ſeparabilis, quia ita informat; quod etiā ſeparari poteſt. Et ſi diceret aliquis, obiectum eſt uniuerſale, &

Alex.

Reiiciūtur qui hoīem non intellectu ſed p aīationē a brutis diſtingui dixerunt.

Obiectio.

Reſponſio

Qūo dicatur intellectus immixtus, impaſſibilis, & ſeparat⁹

le,& non ſingularizatum, ergo etiam intellectus erit abſtractus,& non ſingularizatus,nec informans,dico, quod vniuerſale eſt ſecundum rationem, non autem re abſtractum a materialibus conditionibus; ſic intellectus eſt abſtractus,& ſeiunctus á materia: ſed ſolum ratione. & hoc ſufficit, quia quod poteſt conſiderari eſſe ſeparatum; ſed intellectus conſideratur, quia non eſt mixtus, nec utitur organo, ergo abſtractus conſideratione, & informans materiam. Reſponſio

Præterea anima rationalis facit uniuerſalitatem, ergo uniuerſalis,ergo abſtracta, cum uniuerſalia ſint entia abſtracta,ergo non informans. Dico, quod quamuis facit vniuerſalitatem, non propter hoc eſt uniuerſalis, ſufficit quod non ſit organica,nec ſenſibili organo utens.hæc impediunt vniuerſalitatem. Vnde, cum ſit immixta,quamuis particularis facit vniuerſalitatem, quia non utitur organo,& tamen cum corpore coniungitur,ut ipſum informare poſsit. Malè ergo dixerunt illi, qui animam abſtractam,& non informantem poſuerunt. ſicut etiam Plutarchus referente Philopono, qui aſſerit animam rationalē non informare corpus,ſed eſſe ut nautam in naui. Dicamus igitur pro concluſione,ut ait Alb.tra.2.Cap.52.Cum anima rationalis ſit forma naturalium perfectiſsima,ipſa continet aliarum perfectiones, ut poſsit ipſa ſola exercere,quæ aliæ per ſe poſſunt.ipſa enim cum materia corpus facit,ipſa eſt motus, & nutritionis principium,ipſa etiam ſentiendi cauſa, ſimiliter principium eſt intelligendi. & quamuis ſit una in ſubſtantia: tamen virtute, & poteſtate plures eſſe,quia plurium perfectionum participat. Obiectio Reſponſio Reiicitur Plutarch' Concluſio ſupradictorum ſcd̄m Alb.

Per ea igitur,quæ diximus, quiſque poterit informationi ipſius animæ rationalis acquieſcere, nec amplius ad miraculum reputare eſſe informantem,& a corpore ſeparabilem. Quoniam nec præter ordinem formarum, nec præter naturam propriam ipſius animæ, hoc ſuſtinetur. Nam cum formarum quædam ſint aſsiſtentes, vt intelligentiæ,& quædam informantes,ut formæ naturales,ergo neceſſario Per ordinē formarum & naturam ꝓpriam probatur informatio rōnalis aīę

neceſſario ratione ordinis debent dari formæ, quæ ſint, & informantes, & aſsiſtentes. Præterea natura animæ eſt me dia inter intelligentias, & formas naturales, ergo debebat quodammodo eſſe aſsiſtens, & informans; in eo quod igi tur ſeparatur a corpore dicitur aſsiſtere, & in eo quod dat eſſe, dicitur informare. Remaneat igitur concluſum per Ariſt. per authoritates antiquorum, recentiorumque, per infinitas rationes, & denique per rerum ordinem, ac propriam ipſius naturam, animam rationalem eſſe formam, corpus humanum ſpecificantem. & hæc de cauſa materia li dicta ſufficiant.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De independentia, quæ eſt forma Animæ Rationalis, atque de animæ immortalitate eiuſdem formæ corollario primo.

Liber Tertius.

DIXIMVS enim, quod Anima rationalis eſt forma corpus humanum ſpecificans. Independens. per hanc verò particulam anima rationalis differt ab alijs formis: quoniam cœteræ formæ ſubſtantiales educuntur de potẽtia materiæ, reſultant ex complexione, habent determinatum organum, nec a corpore ſeparantur. ſola anima rationalis

Quomodo anima rõnalis differt ab aliis formis

Quæ forma anima rõnalis ſit.

Digitized by Google

tionalis non educitur de potentia materiæ, non reſultat ex complexione, nec habet determinatum organum, ita quod ab illo ſeparari non poſsit: ſed eſt in corpore tanquam forma in informato, & in materia, ſicut diximus, quæ ſecundum quaſdam operationes diuerſis organis vtitur, non tanquam ipſis alligata, ſed tanquam inſtrumentis, & ſecundum propriam operationem, quæ eſt intelligere nullo organo, quamuis in corpore vtitur; & ideò merito dicitur independens, & a corpore ſeparabilis. & hoc multis viſum fuit difficile, atque penitus impoſsibile; quomodo vna forma poſsit dare eſſe, & ſeparari; & ideo videntes hanc quaſi apud ipſos contradictionem, poſuerunt intellectum aſsiſtentem, & ſuam cogitatiuam mortalem, dicentes iſtam eſſe formam illam, quæ dat eſſe, & quod cum corpore corrumpitur. & quod per hanc homo eſt generabilis, & corruptibilis. quod falſum eſſe superius demonſtrauimus, & multò melius inferius hoc declarabimus. In confirmationem huius independentiæ, habemus philoſophum tertio de Anima 6. dicentem, ſi intellectus poſsibilis eſſet virtus materialis, ſequeretur, quod vel eſſet forma mixtionis, vel virtus organica: quia nõ datur alia præter has, quæ materialis ſit, cũ forma elementi cũ iſtis coincidat. ſed intellectus nõ eſt forma mixtionis, nec forma organica, ergo non eſt aliqua forma materialis, ſed eſt forma a corpore independens. quod autem forma mixtionis non ſit, ex hoc apparebit; quia cum forma mixtionis denominetur a forma elementi prædominantis, eſſet igitur vel calida, vel frigida. qualis enim fieret, & eſſet affectus aliqua harum qualitatum aqua denominaretur vel calidus &c. nec poteſt eſſe forma organica, etenim cum forma habens aliquod organum, & diſtinctũ impediatur ab ipſo organo, ob id virtus viſiua habens oculum, ab oculo impeditur, ne ſaporem poſsit percipere, & alia obiecta: & intellectus ſi haberet aliquod organum, illi ita affixus eſſet, quod non omnes formas percipere poſſet; & iam manifeſtum eſt, inquit philoſophus, intellectum

Poſitio falſa multorum.

Quod anima rõnalis ſit forma ĩdependẽs.

Ariſt. 3. de anima. 6.

Qđ intellectus non ſit forma mixtionis.

Qđ intellectus non ſit forma organica.

lectum poſsibilem eſſe potentem recipere omnes form as igitur ipſi determinatum organum deputari non poteſt, ſed per ſuum eſſe informat totum corpus, & hoc atque il lud organum,& per operationes, quæ requirunt ad operandum,organum,vtitur organo ut inſtrumēto, & per intelligere quod non requirit organum, nō vtitur,ita quod anima rationalis vtitur organo,& non vtitur; & quando vtitur, non utitur ipſo,ut illi affixo, & quod ab ipſo ſeparari non poſsit,ſed tanquàm inſtrumento utitur ipſo. Vnde maximus Tyrius Platonicus ſermo.25.dicebat.Homo eo minor eſt Deo,quod corpori coniunctus,utitur eo tan quàm uehiculo.& ſerm.18. Anima per totum diffuſa nul lam corporis partem occupat,ideſt nullum determinatū organum habet, & ita ſibi affixum, quod ab ipſo ſeparari non poſsit. Sed nonnè altius atque diuinitus Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro? qui ait. Anima hominis vehi tur in hunc modum,mens in ratione,Ratio in anima, anima in ſpiritu,ſpiritus corpore,ſpiritus per uenas,arterias, ſanguinemque diffuſus animal vndique ciet, molemq; corporis ſuſpenſam ſuſtinet,atque circumfert. unde dece pti quidam, humorem ſanguinis animam exiſtimarunt; ita quod nullum organum determinatum ipſi animæ applicat,ſed totum corpus. Addit Auer.ad hoc probandum, quod intellectus non ſit virtus organica:quia cū iam probatum ſit dari quinque ſenſus ſolum, & non dari ſextum, ergo ſi eſſet forma organica, uel eſſet aliquis exteriorum, vel interiorum.aliquis exteriorum eſſe non poteſt, cū nec ſit viſus,nec auditus &c.nec aliquis interiorum, quia ſicu ti iſti dependent a ſenſibus exterioribus: ita & ipſa haberet virtutem exteriorem ſibi deſeruientem, & ſpecies deportantem; & ſic daretur ſextus ſenſus. Præterea, ſi intellectus eſſet virtus in corpore,nō apprehēderet ſeipſam, nec apprehendet vno tempore vnum contrariorum,ergo patet,ut dicit Auer. in tract. de Animę beat. Cap. 1.quod intellectus materialis non eſt mixtus materię, nec eſt de virtutibus motiuis. Amplius Io.Grammaticus in proh.li

Qūo aīa rōnalis utatur organo, & non utatur.

Maximus Tyrius Platonicus. Serm.25 Idem Ser. 18.

Mercurius Triſmeg. in Pimandro.

Auerr. qđ intellect' nō ſit uirtus organica.

Alia ratio

Io. Gram. qđ rõnalis aĩa non ſit virtus in natura. bri de anima, ſic argumentatur. Nulla forma habens operationem ſibi propriam, eſt uirtus in materia, ac omnino inſeparabilis à materia. Rationalis aĩa eſt forma habens proprium opus per Ariſt. in toto 3. lib. ergo rationalis anima non eſt virtus in corpore educta de potentia materiæ.

Confirmatũr per Al gazelem. Præterea Auic. & Algazel multas rationes ad hoc probandum inducunt; & primo. Nulla virtus in corpore poteſt dare formis materialibus ſua propria uirtute immaterialitatem, ſpiritualitatem, impartibilitatem, ac eis æternitatem, & illas apprehendere incorporaliter ſine tempore, & continuo, & negare hoc eſt ſignum ſtultitiæ, ut dicunt, ſed intellectus dat formis materialibus ſua ꝓpria virtute immaterialitatem, ſpiritualitatem, impartibilitatem, & æternitatem; & eas apprehendit incorporaliter ſine tempore; & continuo, ergo intellectus nec eſt corpus, nec virtus in corpore, nec ex materia eductus, ergo independens. Vnde dicendum eſt, quod anima rationalis nõ eſt virtus, nec forma organica, ſed quod eſſe ſuum organis, & toto corpori communicat. per quam conmunicationem ipſi dat eſſe, & ipſum ſpecificat, atque uiuificat, vt ens ipſo, ut inſtrumento. Ideo Marſilius Ficinus ex Plot. ait anima in ſe uiuens uiuificat corpus, eo utens ut inſtrumento, ſuis non ſubditur paſsionibus. & alibi, anima non miſcetur, nec ineſt corpori, ſed ad eſt protẽſa per totum, ideò nó ſuſcipit eius paſsiones, hę namque ad animal pertinent. Idem uolens oſtendere quomodo ſit in corpore, & quomodo coniungatur, ait. Anima rationalis per intellectum ſuum coniungitur diuino, per hunc Deo, per imaginationẽ Animali, & per hoc corpori: ita quod oſtẽdit, quod per potentias, quas habet per organa operatur, & per eſſe ſuum corpus ſpecificat, utens ipſo ut inſtrumento. Quod melius declarans, ait. Anima indiuiſibilis naturæ eſt diuiſibilis circa corpora, quatenus eius dimenſionibus ſe tradit, tradit autem non ſeipſam, ſed ut in pluribus ſpeculis una facies apparet. eſt autem eius prima imago ſenſus communis. & ita per uarios gradus ad minimas deſcen-

Margin notes: Cõcluſio (beside "Vnde dicendum"); M.F. in cõfirmationẽ concluſionis. (beside "ipſo, ut inſtrumento"); M.F. (beside "mal pertinent"); Idem. (beside "to. Quod melius")

Plot.

deſcendit uirtutes,& perfectiſsimè hoc explicans Plot.de dubijs animæ primo quartę Enc. 3.ait. Anima non eſt in corpore,ſicut in loco,uel uaſe,uelut pars in toto,uel ut totum in partibus,nec ut qualitas in ſubiecto,nec ut ſpecies in materia, ſcilicet forma materialis in ſua materia, ſed corpus eſt in anima, ut in uiuificante, comprehendente, & mouente tuli. Vnde ſi mouet uiuificat, & comprehēdit corpus,ergo ſpecificat ipſum, & ipſi dat eſſe tanquàm independens, quoniam potius corpus dependet ab ipſa, vt dixit, quod corpus eſt in anima.

Latini ꝓbant aĩam rõnalé eſſe independẽtem.

Præterea Latini nonnè etiam ipſi probant animam rationalem nullo modo eſſe a corpore, & materia dependentem? Inquiunt enim. Nulla anima nobilis tres habens operationes, diuinam, intellectualem,& animalem, eſt uirtus in corpore educta de potētia materię. Sed rationalis anima habet diuinam, quia habet imaginationem, & ſimilitudinem primæ cauſæ, intellectualem habet intelligendo, & inquantum reflectit ſe ſupra ſe: animalem habet in animando, ergo a corpore independens.

Alia ratio.

Amplius, Nullum denudatum a naturis formarum materialium eſt virtus in corpore educta de eius potentia,ſed rationalis anima eſt denudata ab omnibus formis materialibus, quoniam omne recipiens omnes formas materiales eſt denudatum ab eis:ſed intellectus recipit omnes formas materiales,ergo eſt denudatus ab omnibus formis materialibus,ergo ab ipſis indepēdens.

Medici arguunt contra prædicta.

At inquiunt Medici arguentes ab operatione ad eſſentiam,cū ſcilicet hic operatio appareat, ergo ibi erit eſſentia in illa parte vel interiori,vel exteriori. Vnde uirtus cogitatiua eſt uirtus diſtinctiua, & tamen habet determinatam partem in corpore, & in cōfirmationem huius

Confirmatur rõ medicorum ꝑ Auerr. 3. de aia 6

habemus Auer. 3.de Anima ſexto qui dicit,virtus cogitatiua apud Ariſt.eſt virtus diſtinctiua indiuidualis. 1.diſtinguēs indiuidualiter;idē infra. 20. & 33.& 2.de anima 65. & eſt de genere virtutum exiſtentium in corpore, ergo & intellectus debet habere partem in corpore determinatā, conſequenter eſt materialis.Reſpondendum, quod cogi-

tatiua,& intellectus differunt formaliter:quoniam hic re cipit vniuerſaliter,illa particulariter,& ſic non valet,ergo etiam intellectus. Vnde anima rationalis, ut diximus, per potentias,quas habet, ſe extendit ad hoc,& illud organũ, & ibi operatur. Ideò bene dicebat Plotinus,quælibet uis animæ eſt in qualibet corporis parte tota, ut anima: ſed ibi agit ubi inſtrumētum eſt, & ibi principaliter ubi principium habet inſtrumentum.

Plotinus i confirmationem

Reſponſionis.

Reſponſio obiectioni

Nec currit argumentum; intellectus eſt proprius homi mi, per quem homo eſt,homo, ſed cogitatiua eſt propria hominis,ergo intellectus eſt cogitatiua.Dico,quod intellectus ē cogitatiua cauſaliter,ſed nō formaliter.quoniam eſt potentia intellectus.& virtus, & ſic non propria homini,ut forma,ſed ut potentia.& ideo quando dicit,ergo intellectus materialis,dico, quod per cogitatiuam formaliter eſt materialis,non cauſaliter, ſed quod a materia ſeparari poteſt. quoniam anima rationalis per potentias quas habet,& virtutes ſortitur,ut diximus in principio,diuerſa nomina.nam modo cogitatiua, modo vegetatiua, modo ſenſitiua appellatur &c.& ſic per eſſe ſuum extenditur per totum corpus. & quamuis per multas potentias operetur per diuerſa organa: tamen independens eſt a corpore, & ab ipſo ſeparatur cum omnibus potētijs: quoniam ſuum eſſe,& potentiæ proueniunt non a corpore,ſed ab ipſa anima,quæ immortalis,& incorruptibilis,atque immaterialis eſt.Ideò Calcidius in Timæum Plat.ait.Anima non in eſt,nec miſcetur corpori, ſed ut incorporeum quid penetrat.Et Marſilius Fic.lib.7.de Theolog.Plat.anima per tenuiſſimum ſpiritum in corde natum ſe protendit per totum corpus.Quid diuinus Plato in Alcibiade? dicit enim, homo nihil aliud quam anima. idem, homo aliud a ſuo corpore.ideſt homo nihil aliud,quā anima. quia per animam habet eſſe. homo aliud a ſuo corpore, ideſt anima eſt aliud a corpore,quia independens eſt, & a corpore ſeparatur. Concludamus igitur, quod anima cum ſit denudatio ab omni natura ſenſibili, nullumque organum habeat,

Calcidius in Timeũ Plat.in cōfirmationē independētiæ animæ

Idem confirmat M.F.

Plato in Alcibiade

Concluſio oīum ſupradictorū in cōfirmationem ipſius independentiæ animæ rōnalis.

habeat, non lædatur ex vehementi cognoſcibili, non debilitatur corpore debilitato, ut patet in ſenio, & in ſomno, quod magis, & mirabilia intelligimus, intelligit vniuerſale, & abſtrahit a loco, figura, quãtitate, & accidente ſenſibili; percipit actus, habitus, & ſpecies, & idæas, quæ in ſe ſunt, ergo a corpore omnino independens.

Poſtquam igitur manifeſtauimus cum Ariſto. & bonis philoſophis, atque cum multis rationibus, rebusq́ue manifeſtis animę independentiam ad maiora calamũ conuerremus. Nulli enim dubium, quod ſi hucuſque probatũ ſit, animam eſſe independentem, quod ex his corollariè non ſequatur, animam eſſe immortalem. & quamuis hoc tanquam famoſum præſupponendum, atque concedendum eſſet: tamen, ut ignaris philoſophaſtris oſtendamus fuiſſe intentionem bonorum philoſophorum, animam eſſe immortalem: ideò de ipſa uerba, & ſermonem inſtituemus; & hanc materiam tali diligentia pertractabimus, atque tot ac tantis rationibus; auctoritatibus, atque exemplis eam comprobabimus, quod erit impium poſt hac de ipſa amplius dubitare, & ſuperfluum aliquid tradere. & quoniam omnes mente corrupti crucifixerunt Ariſtotelem ſummum philoſophum, atque dicta ſua lacerauerunt: ideò NOVVM VERITATIS LVMEN in libros ſuos tres de anima compoſui, ad maiorẽ, & perfectam declarationem ſuæ intentionis, & huius materiei, quod Sacratiſsimo Cardinalium collegio dicaui. Quæ igitur dicta ſunt in ipſo, ſupponãtur, & eliciamus hanc cõcluſionem, quod nihil Ariſto. determinat de anima rationali, niſi in tertio libro, tãquam in proprio loco. & ipſam poſuiſſe, & quoad partem paſsiuam, & quoad partem actiuam immortalem, æternam, & incorruptibilem. & ideò, quando dicit in ſecundo de anima tex. 21. Separatur autem, ut perpetuum a corruptibili, non determinat, ut iterum diximus: ſed inquirens proponit quod prima facie apparet. quoniam non eſt locus proprius, ideò non oportet inferre, ut Herueus, non loquitur abſolutè, ergo dubius.

Qũo ex dictis correlarie ſequitur animam immortalem eſſe.

Immortalitas animæ ſupponenda eſt.

Promiſſio authoris circa ſermoné de animæ immortalitate.

Quid Ar. in 3. de anima intẽdat.

Declaratio tex. ar. 2. de aïa 21.

Reiicitur Herueus.

Declaratio tex. ar. 16. 12. meta.

bius.quod idem facit 12. meth.tex.16. ubi quærit, ſi aliqua forma remanet poſtquam ſeparata eſt a materia, ut ſi eſt anima talis, non omnis, ſed intellectus, non concludit intentum, cum ſit conditionalis. & ideò quando Thomas Gaetanus dicit Ariſtotelem non fuiſſe dubium, ſed pro certò ſenſiſſe animæ mortalitatem. Nam ut ait philoſophus primo de anima text. 13. habet hæc verba, ſi habet anima operationem propriam, eſt ſeparabilis, ſed Ariſto. non inuenit, dicit Gaetanus, operationem propriam, cum etiam intelligere ſit phantaſia, ergo admiſcetur corpori, ergo mortalis, quoniam Ariſt. non cognouit intelligere ſine phantaſia.

Gaetanus contra qui reiicitur

Dico, quod fundamentum ſuum falſum eſt. quoniam Ariſt. in primo de Anima loquitur conditionaliter, ut poſtea conditionalem exprimit in 3. lib. tex. 4. vſque ad octauum ubi dicit, quod intellectus omnia intelligit, eſt immixtus, nec affixus organo. & per conſequens habet operationem diuerſam a ſenſu, & ſibi propriam. & quamuis intelligat cum phantaſia, non propter hoc ſequitur, ergo mortalis: quia formaliter corpori admiſcetur, nō autem cauſaliter. & prout conſideratur anima operans cum corpore, ut Ariſtote. dicitur intelligere cum phantaſia: tamen etiam ſine phantaſia in corpore, cum facta eſt intellectualis, intelligere poteſt; & ſic ſoluitur ſuum argumentum. nec quamuis loquatur conditionaliter oportet inferre, vt Herueus, ergo fuit dubius: quoniam reſpondeo, ut ſuperius, quod non eſt locus proprius. quoniam tunc proponit, quod ſuo loco habet determinare, quoniam in tertio, vt diximus text. 4. determinat, quod conditionaliter propoſuerunt in primo, ſcilicet quod habet operationem propriam, quæ eſt intelligere. quoniam non expletur ꝑ organū corporeū, ut ſentire, & in ſecundo, concludit, quod intellectus eſt ſeparatus in hoc, quod vere eſt & hoc eſt perpetuum, & immortale. & illic nec conditionalem, nec dubitatiuam dictionem apponit. Certè, quod miror homines uelle ex conditio-

Reſponſio ad arg. Gaetani. Declaratio tex. ar. 4. 3. de anima.

Impugnantur Tho. Gaetanus, & Herue' pro defenſione Ari.

ditionali aliqua cõcludere negatiuam,vel dubium. Non nè poteſt conditionalis eſſe vera, vel falſa? Quare ergo Thomas Gaetanus vult concludere ſententiam Ariſtot. eſſe hanc? & quare Herueus dicere ipſum fuiſſe dubium? Ariſtoteles non philoſophatus eſt, vt iſti, nullo ingenio præditi, & abſque ordine ſcribentes, & abſque methodo res declarantes, ſed fuit ſapientiſsimus philoſophus, & noluit bis idem repetere abſque neceſsitate,& extra propoſitum, & niſi proprio in loco rem abſque conditione determinauit. & hoc munus eſt verè philoſophi. Cuinam credemus, vobis Latinis literarum Græcarum ignaris quorundam ſcholaſticorum funtoribus, vel peritiſsimis Græcis? Non nè ait Plethon platonicus inter Græcos peritiſsimus, Ariſt. ſine controuerſia ſenſiſſe animos hominum eſſe plures, & ſempiternos, atq; ſe hoc dicere non Ariſtotelis verba peruertendo, vt ipſe antiquorũ philoſophorum verba peruertit? Quid dicit Io.Picus in concluſionibus,omni lingua peritiſsimus?ait enim. Melius poteſt ſaluari Tex. Ariſt.qui dicit omnem animam eſſe immortalem,quàm qui dicit, omnẽ animam eſſe mortalem. Quid Auer. magnus cõmentator 3. de Anima text. 14.ſi opinio Ariſt.non eſſet,quod intellectus eſſet ęternus & non forma corporis, aut in corpore oporteret opinari hoc,ſed nullus debet dubitare. Ideò non benè Gregorius Nazianzenus in lib.contra Eunomianos dixit,Ariſtotelis ſermones de anima tanquam mortales refelli debere. Nam Proclus ſuper Timæum, affirmat non ſolum Platonicos, ſed & Ariſto. animam immortalem poſuiſſe. Nonnè etiam Alb.Magnus,S.Thomas, & Egidius tenent pro certo Ariſt.ſenſiſſe animæ immortalitatem? Auer. ẽt primo de Anima 12.ait.Hæc eſt ſententia Ariſto. intellectum materialem eſſe abſtractum a corpore, & nihil intelligere præter imaginationem, non tamen intellexit, quod intelligere ſit niſi cum imaginatione: quia tunc eſſet corruptibilis,vt cenſet Alexander.hæc ille. Quis ergo dubitabit amplius de mente Ariſtotelis? Nonnè fa-

Plethon platonicus in confirmationem defenſionis Ariſt.

Idem Io. Picus.

Idẽ Auer. 3. de anima tex.14.

Reiicitur Greg.Nazianzenus malè de Ar.ſenſiſſe

Proclus in defenſionẽ Ariſto.

Idẽ Albe. Mag. S. Thom. & Aegid.

Idem uer. 1. de anima 12.

teberis reminiſcentiam ad partem ſenſitiuam pertinere? quare ergò ſi Ariſtot. putauit animam perire aſsignare rationem, cur non reminiſcimur poſt mortem? hoc ergo fecit, quoniam potentia ſua, qua reminiſcebatur, non poteſt amplius poſt mortem operari, cum non habeat organum ſenſus, ideò dicitur corrumpi formaliter: quamuis cauſaliter immixta, & immortalis, quia non à corpore, ſed ab anima dependet. Præterea, ſi de anima rationali in tertio, loquitur, & nõ de intellectu extrinſeco, vt iam manifeſtauimus, non ne omnibus clarum eſſe poteſt intentionem Ariſt. fuiſſe animam eſſe immortalem? cum dicat tex. 19. tertij de anima eſſe intellectũ ſeparabilem, immixtum, atque impaſsibilem. & ſic nemo de eius mente dubitare debet, nec de animæ immortalitate. Nec eſt dicendum, vt Scot. in quarto ſenten. diſ. 43. quæſt. 2. in Examine ſecũdæ propoſitionis, qui nõ habet proincõueniẽti, quod Ariſto. fuerit certus de animi indeficientia, etiam quod ratione neceſſaria id non concludat. Ego autem dico per prædicta, quod ratione neceſſaria id concludit. quoniam a natura rei inuenit omnia illa prædicata oſtendentia immortalitatem, & natura rei non ſcitur, niſi per definitionem, & definitio eſt principium demonſtrationis, ergo demoſtratiuè concludit animæ immortalitatẽ, ergò ratione neceſſaria, & infallibili. Et quando ipſe argumentatur dicens. Ariſt. 7. met. tex. vltimo ait. Nulla pars remanet deſtructo cõpoſito, niſi materialis, ergo deſtruitur anima deſtructo compoſito; dico, quod hæc conſequentia non ualet. Partes elementales, ideſt materiales componentes tótum, remanent deſtructo toto, ergo omnes partes remanentes deſtructo toto ſunt elementales. non ſequitur, quia remanet formalis pars. Vnde Ari. non ponit illam propoſitionem uniuerſalem, ſcilicet omnes partes, ſed dicit; quoniam uero ex aliquo compoſitum fit &c. Præterea ſi intendiſſet, quod nulla pars remaneret deſtructo compoſito, niſi pars materialis, non dixiſſet in lib. 12. tex. 16. ſi autem poſterius aliquid manet, & intendit

Rã in defenſionem Ar. elicità ex dictis ſuis.

Alia ratio ex dictis Ariſto.

Reiicitur Scot. in 4. ſen. diſt. 43 q. 2.

Qđ demõſtratiuè Ar. concludat animæ immortalitatem.

Arg. Scot. contra immort.

Solutio.

dit de parte formali) perſcrutandum eſt, in quibuſdam enim nihil prohibet, ut ſi eſt anima talis, ergo nulla ratio Scoti. Et ſi dicit Scot. quod oportet ponere ſecundum phi loſophum, ultra partes materiales componẽtes aliquam formam, quæ non remanet ſeparata a materialibus partibus, concedo: ſed dico, quod iſta eſt forma totius, de qua intendit philoſoph. vt in homine humanitas. ſed anima eſt forma partis, quia actuat, & informat materiam, quæ eſt altera pars compoſiti, & de hac non loquitur philoſophus ibi.

Replica Scoti contra.

Reſponſio ad Scotũ.

Præterea, ſi Gaetanus ait, philoſoph. primo eth. ponit hominem felicitari ſecundum quid, & non ſimpliciter. ſed ſi anima eſſet immortalis, poſſet homo felicitari ſimpliciter, ergo non fuit mens philoſophi animam eſſe immortalem. Reſpondetur ſecundum omnes expoſitores, Ariſto. loqui de fœlicitate, quæ datur in hac uita, quæ dicitur ſecundum quid, quia modica eſt, & parum durat, & ſemper admixta eſt multis calamitatibus. poſt mortẽ datur fœlicitas, quæ appellatur beatitudo, quæ durat. Etiam dicere poſſumus, quod quamuis homo coniũgatur intellectui agenti uniuerſali extrinſeco, non poteſt durare hæc coniũctio, ſed tranſit: ideò dicitur ſecundum quid, & ſic anima poſt mortem non fœlicitatur, ſed beatificatur ſimpliciter, & non eſt dubium, quod Ariſto. concedat fœlicitatem poſt hanc uitam in cognitione ſubſtantiarum diuinarum, quæ apud ipſum ſunt Deus, & intelligentiæ, quod patet ex lib. 9. met. tex. 22. ſed modum ſcire non potuit, nec a nobis poteſt ſciri, niſi ex reuelatione.

Gaetanus contra immortal. Solutio.

Secundo ſolutio.

Præterea Ariſt. 12. met. tex. 39. deductio autem optima, ideſt optima diſpoſitio, ſiue optimus ſtatus, qui conſiſtit in ſpeculatione primi principij, ideſt Dei, qualis nobis, ideſt paruo tempore illis autem, ſcilicet intelligentiis eſt continua, & perpetua nos. homines ſi eſſemus immortales ſemper ipſam haberemus, non habemus, ergo mortales. Concedo, quod cum ſimus immortales, poſſumus habere illam optimam diſpoſitionem continuam, & perpetuam,

Alia ratio per Ar. 12 met. 39. contra immortalitatem. Reſponſio

tuam,

tuam, ſed non hic. philoſophus autem 12. met. loquitur pro præſenti ſtatu, ideò nihil contra. Cõparat enim homi nem intelligentijs, dicens, quod delectatio paruo tempore nobis ineſt, intelligentijs ſemper. quod dictum non arguit, quod nõ ſimus immortales, ſed vult dicere, quod cũ intelligentiæ ſint ſine corpore, ſemper habent delectationem, & nos cum ſimus in corpore aliquando copulamur cum lumine intellectus agentis vniuerſalis. & hoc paruo tempore durat, & in hoc paruo tẽpore ſine phantaſmate intelligit. & ẽt quãdo in ſe eſt. ſed poſt mortẽ ſemper, ideo bene dicebat S. Thomas in 3. lib. contra gentes, Cap. 48. quod anima hnmana non eſt verè intelligens, ſed habere quandam participationẽ intellectus; quoniã vt eſt in corpore non verè intelligit. ſicut dicitur de noctua, quæ non verè videt ſolem: tamen poſt mortẽ poteſt verè intelligere, & aliquando ſed raro in hac vita. Sed quia non durat, ideò dicit nõ verè. & ex hac operatione animæ poſſumus cõcludere, ipſam eſſe immortalem. quoniam ſi anima poteſt operari ſine corpore, ergo poteſt exiſtere ſine corpore. quoniam, quamuis per potentiam veget. ſenſit. & cogit. operetur per corpus, & attingat ſingularia: tamen per potentiam intellectiuam ſpeculatur, & intelligit, & ſine corpore, & auxilio corporis operatur. intelligit enim intellectus ſeipſum, & ſe intelligere, & obiectum vniuerſale ab omni cõditione materiali, & ſingulari depuratum, ergo anima poteſt exiſtere quoad eſſe ſine corpore, cum modus operandi conſequatur modum eſſendi.

S. Th. in cõ firmationẽ reſponſionis.

Præterea, quando dicunt. Ariſt 3. phiſ. tex. 12. dicit forma dicitur natura, & non ſeparatur a materia, anima eſt forma, ergo non ſeparabitur a materia. Dico, quod loquitur de forma, quæ pure natura eſt. anima verò qua parte informat natura eſt: tamen poteſt ſeparari a materia, quia quoad eſſentiam, & cauſaliter a materia non dependet. formæ verò pure materiales non poſſunt a materia ſeparari, quia dependent a materia; & ſi dicerent adhuc, Ariſto. 1. phiſi. text. 83. dicit ſe tractaturum de formis phiſicis

Arg. cõtra per Ari. 2. ph. 12.

Reſponſio

Aliud ar. per Ari. 1. phiſ. 83.

gene-

generabilibus,& corruptibilibus,inter quas eſt anima, er
go corruptibilis. Dico,quod anima corrumpitur formali Reſponſio
ter,non autem cauſaliter, ſcilicet quod quamuis non cor
rumpatur, quantum ad eſſentiam,& ſubſtantiam , tamen
corrumpitur quantum ad actum formalem eius, qui eſt
informare,& potentijs operari; deſinit enim informare,
& deſinit eſſe actu formam, & ita actus eius formalis cor- Arg.impii
rumpitur,licet non ipſa,nec ſua propria operatio. Et ſi im
pius dicat, es in maximo errore. Nam animam eſſe im-
mortalem non eſt per ſe notum , quoniam anima non in-
diget in ſuo proprio opere corpore,neque ut ſubiecto, ne
que ut obiecto:ſed hæc non eſt euidens,immo ſua oppoſi
ta,vt experimur,quoniam ſine phantaſmate nihil intelli-
gimus,ergo mortalis. Dico, quod non eſt per ſe notum
Diagoreis,bene his qui homines eſſe ſe putant, & non be Reſponſio
ſtias.poſtea quamuis non eſt per ſe notum: tamen non ſe
quitur,ergo mortalis,quoniam ſufficit, quod in ſuo ope-
re proprio non indigeat corpore, ut organo,quia ex 3. de
anima tex.4.ut probauimus,nec intellectus, nec intellige Obiectio.
re ſunt organica. & cum dicit, quod indiget corpore, ut
obiecto: quoniam experimur ſine phantaſmate,in hac ui
ta nihil intelligere, ad hoc reſpondent aliqui, quod hoc Reſponſio aliquorũ.
non obſtat immortalitati.ſed ego dico,quod hoc accidit,
non ratione animæ, ſed quoniam coniuncta eſt corpori, Alia rñſio
& etiam quamuis coniuncta eſt, poteſt aliquando ſine
phantaſmate intelligere: quia habet hoc ex propria ope
ratione,quoniam in ipſa ſunt ideæ omnium rerum intel-
ligibilium,& habet proprium intellectum agẽtem, a quo
illuminari poteſt,abſque excitatione phantaſmatum. Et
quando Ariſtote. dicit, quod non intelligit ſine phantaſ- Obiectio. Reſponſio
matibus conſiderat animam , prout cum corpore intel-
ligit, & ratione corporis, cum dixerit ſe loqui de ani-
ma , quæ ſpectat ad phiſicum , ut naturalis facta eſt . Arg. Protogurii.
Et ſi adhuc Protugorius dicat . Quod verè immorta-
le eſt , non poteſt eſſe principium formale nutritio-
nis , augmenti , & ſenſationis . ſed anima & huiuſmo-
di,

di, ergo non immortalis. Reſpondetur, quod maior eſt falſa: quoniam ſi immortale eſt principium augmenti, ſenſationis, & non vltra, vera eſt: ſed ſi ultra prædicta eſt principium intelligendi, falſa. Vnde cum anima in ſua eſſentia uirtualiter, & cauſaliter contineat, ut vidimus vegetatiuum, & ſenſitiuum: ideò poteſt eſſe principium horum, & remanere cauſaliter immortalis. quoniam iſtæ potentiæ dependent ab ipſa anima, tanquam ab eſſentia ſua propria. & ſic non ualet concludere per plures operationes operatur materialiter, & per vnam tantum, ſcilicet intelligere ſine materia: ſed denominatio fit a ſuperabundanti, ergo erit potius mortales, quàm immortalis. quoniam dico, quod quamuis habeat plures operationes, & formaliter operetur cum pluribus indigentibus organo, & cauſaliter cum una tantùm, hoc eſt quoniam coniuncta eſt cum organis, & denominatio fit ſemper à nobiliori, & ab eſſe cauſali, & non formali, quoniam hoc dependet ab illo, & non e contra. Et ſi ulterius dicat, ſi anima eſſet verè immortalis, non magis in ſenio, quàm in pueritia intelligeremus, ſed contrarium videmus, quoniam Ariſt. lib. de Anima probat viſum eſſe formam corruptibilem propter eſſe debilitabile, & fortificabile ex oculi ſenectute, & iuuentute. & in lib. Phyſio. animæ ſequuntur corpora, quemadmodũ patet in ægritudinibus, & ebrietatibus, ergo fieri nequit, ut res omnino immaterialis in opere ſuo, a corpore ſemper dependeat. Reſpondeo, quod hoc eſt non ratione animæ, ſed ratione cõiunctionis cum corpore, & ratione ſuæ operationis, ut dicit Auer. in 3. de Anima, com. 7. virtutes enim ſenſitiuæ ſeruiunt intellectui. quando ergo inſtrumenta ibi debilitantur agens non in ſe, ſed in ſui operatione debilitatur, & hoc modo ſoluitur etiam dictum Ariſtot. in Reth. quando inquit corpus habere opus, vſque in annos 35. animam verò rationalem opus habere vſque in annos 50. Et cum concludit, ergo fieri nequit, hoc eſt falſum, quia non verificatur niſi de omnino immateriali, & merè intellectuali, ut de intelligentia;

Reſponſio

Obiectio.

Reponſio

Obiectio Confirmatur p Ar.

Reſponſio Confirmatur per Auer.

gentia;& non de anima;quę media eſt ut videbimus.quę poſtea quandoque poteſt intelligere abſque corpore,quã uis ſit in corpore. Et ſi quis diceret, Ariſto.in tota doctri na ſua,& in Methaph.non attribuit aliud intelligere ani mæ, niſi cum phantaſmate : dico,quod in 2.lib.met.text. primo dicit, ſicut nicticoracum oculi ad lucem diei, ſic & animæ noſtræ intellectus ad ea ; quæ omnium naturæ manifeſtiſsima,ergo conceſsit, quod poſſumus intellige re ſine phantaſmate. quoniam poſſumus intelligere ab ſtracta,ut ſuo loco oſtendemus,& nos poſſe æterna ſpecu lari,indicium eſt noſtræ immortalitatis. Nam ſicut ait Plot.in lib.tertiæ En.7.ſi non eſſet æternitas in nobis,eam a nobis cognoſci eſſet impoſsibile. Quid,quæſo,dicit ma gnus Auerroes de hac immortalitate? In proh phiſ.dicit. Cognoſcemus proportionem iſtius vitæ ad tempus ſem piternum, non curabit vitam ſuam, ſicut Socrates, ergo oſtendit eſſe immortalem. mplius primo de Anima 49. Natura intellectus videtur eſſe valde oppoſita naturæ cor pori,ergo ſi oppoſita eſt immortalis erit.quoniam corpus eſt mortale, & oppoſitum mortalitatis, eſt immorta litas.

Obiectio. Reſponſio

Plat. Auer. de immortalitate in ꝓhe.phiſ.

Idem primo de anima 49.

Præterea idem primo de Anima 66. intellectus opera tio eſt generabilis,& corruptibilis,ratione corporis, ergo eſsẽtia intellectus incorruptibilis. vult dicere Auer.quod formaliter corruptibilis eſt,nõ cauſaliter.Idem 3.de Ani ma tex.6.anima ſenſibilis non eſt virtus attributa comple xioni,ergo tanto minus intellectus, ergo immortalis. idẽ aliæ partes animæ ſunt formæ in materijs.i.operantur for maliter potentię.rõnalis autem non.i.anima eſſentialiter & cauſaliter,non eſt in materia. Idem tertio, de anima ſeptimo,in intellectu eſt trãſmutatio, & fatigatio ratione imaginationis, & accidentaliter, id eſt formaliter per po tentias,non autem per eſſentiam, & cauſaliter. Adhuc tertio, de Anima 40. Recipiens debet eſſe denudatum a natura recipienti.hæc propoſitio eſt uera, & ſine dubio ex hoc ſequitur, intellectum poſsibilem eſſe abſque om-

Idem primo de anima 66. Idem primo de anima 6. Idem. Idem 3.de anima 7. Idem 3. de anima 40.

ui forma materiali, & per conſequens non eſſe formam corporis, aut in corpore, quia talis eſt materialis, id eſt formam ſecundum noſtram veritatem: quamuis non ſecundum ſuam opinionem ex complexione reſultantem, ſed bene compoſitum uiuificantem, atque ſpecificantem. Quid atteſtantur antiqui philoſophi de hac immortalitate? Nonnè Merc. in 11. loquens mẽs ad Mercurium ait Niſi te Deo æquaueris, nũquàm eum intelliges, ſimile. n. ſemper a ſuo ſimili cognoſcitur. ſi ergo poſſumus Deo æquari, ergo immortales. Quid Plato in Hipparco, & in Menone? ibi quod omnes homines bonum appetant, hic verò dicit veritas rerum in anima ſemper eſt. Quid eſt haberi ſemper ueritatẽ, niſi eſſe participes Dei, & intelligentiam diuinam habere? Quare ad ipſum poſtea, ut ad ſummũ bonum naturali deſiderio homines conuertuntur. niſi quia Deo ſimiles ſunt. ſi ſimiles ſunt, & dei participes, ergo immortales: quoniam mortale immortalitatis particeps eſſe non poteſt. Cui rationi adſtipulatur Ari. 2. de partibus animal dicens. Homo diuinitatis eſt particeps. & idem cap. 10. Homo ſolus erectus eſt, quia eius natura atque ſubſtantia diuina eſt. officium autem diuinitatis eſt, intelligere, atque ſapere. Et ſic videmus antiquos philoſophos, qui intellectuales erant, & ſecundum rationem uiuebant, relictis ſenſibus, paſsionibus, & beſtiarum operationibus, ſuam perfectionem cognouiſſe: & ideò multa de animę immortalitate conſcripſiſſe. & nulli dubium eſt, quod hominis, qua homines ſunt, ex parte formæ ſuæ, non ſint magis intellectuales, quàm ſenſitiui. ſed quia plus vegetant, & ſentiunt, quàm intelligant: ideò dicuntur ſenſitiui, & operationem intellectualem debilem, & obſcura habent. & hoc non eſt reſpectu animæ. ſed hoc eſt per accidens, quoniam coniuncta eſt corpori, & quoniam facilius inclinatur ad ſenſum, quàm ad partem intellectiuam. Vnde non ex parte animæ intellectiuæ eſt, quod homines declinent a virtute, ut nquit philoſoph. in 10. Eth. quoniam rõ ſemper deprætatur ad optima, ſed

Merc. triſ. de immortalitate.

Plato de immortalitate.

Ariſto. Idem.

Quare homines plus ſenſitiui q̃ intellectiui ſint.

Ariſtot. in cõfirmatione 10. eth.

ex parte appetitus ſenſitiui in quo ſituantur paſsiones iraſcibilis, & concupiſcibilis, quæ naturaliter mouentur ad delectabile, & non ad rationem; & ſic anima in ſe habet propriam operationem, & ſic immortalis; aliæ operationes ſunt per accidens, & coniunctim cum corpore, quæ formaliter corrumpuntur; cauſaliter autem non, quoniã redeunt in ſuã eſſentiam, quas virtualiter continet. Et quamuis pendeat anima a corpore, ut ab obiecto, nõ obſtat inſeparabilitati, etiam indiget phantaſmate, ut diximus, ad intelligendum pro quanto naturaliter venatur ſcientiam ex ſenſatis. ſufficit, quod anima intellectiua in operatione ſua non pendet à corpore. immò quanto magis à corpore elongatur, magis intelligit: & quãto magis corpori inhæret, minus intelligit. & ex hoc habemus ſomni quietem, extaſim, & alienationem, quæ ſunt ſigna manifeſta indicantia operationem ſuam non pendere a corpore, quoniam ex his ueniunt vaticinia. quare qui ſunt propè mortem futura prædicunt. quoniam ex ſui natura anima incipit ſuperis coniungi. ergo ſi quanto magis anima elongatur a corpore perficitur, ergo immortalis, & perpetua. Cui rationi adſtipulatur non ſolum Plato, ſed etiam Auc. diſp. 2. in phiſic. dicens. Et ſimilitudo mortis ſomno, in hoc eſt euidens ratio permanentiæ animæ, quoniam deſtruitur operatio animæ in ſomno ex deſtructione inſtrumentorum eorum, & tamen ipſa non deſtruitur. igitur neceſſe eſt, ut ſit diſpoſitio eius in morte, ut eſt diſpoſitio in ſomno: iudicium enim partium, eſt idem, & eſt ratio communis omnibus, conueniens vulgo in credendo veritatem, & excitat homines ſapientes ad uiam, ex qua ſciunt immortalitatem animæ. & hoc eſt manifeſtum in ſermone dei. Perueniunt animæ in morte in eo, quod non moritur homo, hæc ille. Ex reflexione etiam animæ, & ſuarum potentiarum, & operationum ſupra ſe immortalitas quoque conuincitur. Nam intellectus ipſe ſupra ſeipſum conuertitur, ac reflectitur. Nam intelligit ſe intelligere, & voluntas ſupra ſeipſam. nam uult ſe uelle,

Obiectio

Reſponſio

Plato & Auerr.

Alia ratio

le,& memoria ſupra ſcipſam. nam memorat ſe fuiſſe memoratum. Corpus hoc facere nequit, neque vna pars eius ſupra ſeipſam. Solus intellectus igitur, cùm non ſubiacet motui, nec per motum perficiatur, vel tempus hoc facere poteſt, cum eſſe ſuum ſupra motum, & tempus, & ſic non poteſt corrumpi.

Alia ratio pro immortalitate.

Rationes multæ pro immortalitate.

Præterea non ne anima eſſe a Deo accipit ſine medio? Non ne eſt per ſe vita: & non ne denique vita eſt præſtantior corpore? ergo immortalis. Quare quæſo hæret diuinis? quare materiæ dominatur? quare indiuidua? & quare poſtremò proprium eſſe habet, & nunquam a ſua forma diſcedit? Non ne hæc manifeſtant ſuam immortalitatem? Quid plura? Quid eſt per ſe moueri, & in circulum? quid ſtare per tertium ſubiectum? quid eſſe a materia liberum? quid habere eſſe ſuum in ſua eſſentia? & quid tandē & ſibi per ſe conuenire eſſe? non ne hæc ſunt proprietates rerum immortalium, & æternarum? Vnde cum anima nō habeat in ſe potentiam ad non eſſe, neque componatur ex aliqua potentiarum, in quam poſſit reſolui, neceſſario concludendum eſt eſſe immortalem. Nonnè actus fidei, & fides non ſolum diuina, qua Deo credimus, ſed etiam humana, qua alijs credimus hominibus authoritatem dicentes, eſt actus a ſenſu, & corpore ſeparatus, & ſe iunctus, & tantum ab intellectu cognoſcuntur, & ſunt eius operationes, ergo ſi operatio ſeparata, ergo eſſentia. Quis, quæſo, cognoſcit vniuerſalia, quis indiuiſibilitatem, & quis inſtantia, punctum, æterna, relationem, proportiones, ordines, pulchritudinem, & harmoniam? Non iam ſenſus, ergo aliquid ſupra ſenſum, ergo quid immortale, & rebus cognoſcentibus correſpondens, cum oporteat eſſe proportionem debitam inter obiectum actus, & potentiam, & quale obiectum talis actus, & qualis actus talis potentia. ſi quidem potentiæ per actus, & actus per obiecta oportet cognoſcere, vt uidimus. Amplius, quare anima corpori proprio, & omnibus corporibus, dum vult intelligere, nititur repugnare, & aduerſari? ſi dependeret a corpore, non

Alia ratio

Alia ratio pro imortalitate animæ.

Aliæ rationes pro immortalitate.

Alia ratio

non aduerſaretur ſui principio, ergo quia non dependet aduerſatur, ergo immortalis. Nonne videmus, quod ſi per imaginationes diuina cõtueri volumus, ea ſub rebus ſenſibilibus cadere facimus? Sed ſi ipſa per intellectum abſtrahimus, veram ipſarum cognitionem percipimus. Nonne corpus affert in munera impedimẽta animæ. Speculanti, propter eius alimoniam? Quid poſtea Amores, cupiditates, timores, quæ nihil veri nobis afferunt? Nam ad bella, ad ſeditiones, ad pugnas, & alias res inhoneſtas nos impellunt, ergo ut intelligere debeamus, repugnandum eſt corpori, ergo a corpore non pendet intellectus, ergo immortalis. Etiam in conſultando anima ut intellectiua repugnat corpori, nonne appetitiua inducit ad gulam, oblectamenta, & vitioſa? tamen ratio, id eſt anima intellectiuà contemplationis, & virtutis gratia abſtinendum iudicat, & virtuoſa ſequi iubet, quod vtique anima non ageret, ſi penderet ex corpore. Nam ſi nulla in nobis eſſet natura alia quàm corporea, & pendens a corpore, ſtatim cum corporis affectio attraheret, vel retraheret, prorueremus vt bruta nullo conſilio, nullaque deliberatione habita. eſt igitur in nobis aliquid ſupra corpus, inquit Plato, & ab ipſius ſtirpe ſemotum. Amplius nonnè honor, gloria, & bona fama, quæ ab homine maxima cura poſt mortem relinquuntur, indicant immortalitatem.

Ratio pro immortalitate aiæ.

Quod aĩa non pendeat a corpore.

Repugnantia animæ cũ corpore.

Res indicãtes immortalitatem.

Pręterea, a quo, quæſo, proueniunt multæ virtutes, & virtutum actus, iuſtitia dico, Religio, ſpes in deo, timor Dei, Reuerentia Dei, Fiducia in Deo, Amor dei &c? Non à ſenſu, non ab appetitu, ergo a voluntate, quæ ſupra ſenſum, & corpus eſt. & ſi ſupra ſenſum, & corpus, ergo a potentia ſeparata, & ſpirituali forma eſt. Amplius ait Plato. Non debet virtus alicui obeſſe, nec vicium alicui prodeſſe. obeſſet autem laborioſa vita bonis, & prodeſſet voluptuoſa vita malis, niſi foret anima immortalis, ergo cũ ſenſui, rationi, & intellectui hoc repugnat, ſicut per hæc tria oſtendimus, concludendum eſt animam eſſe immortalem. Nullum enim animal infelicius ipſo homine eſ-

Alia ratio

Plato ĩ cõfirmationẽ immortalitatis.

M.F. de animæ immortalitate.

F ſet,

Alia ratio ſet ſi anima mortalis eſſet,ait Mar.Fic. Adhuc,cum anima ſit perfectior omni corpore,ergo non poteſt produci a cau ſa imperfectiori,ergo a nullo corpore, aut naturali agente potuit corrumpi . Quis enim ponit differentiam in-
Alia ratio ter corpus , & ſpiritum,nonne anima ? Sed ſi eſſet corpo-
Rōnes pro immortali tate aiæ . rea,aut corpus,nō poſſet hanc differentiam ponere. Præterea,quid eſt iudicare axiomata , quid raciotinari, quid ſyllogiſmos conficere,& quid tandem diuidere, definire, & demonſtrare ? Nonnè eſt hoc opus ſapientis ? non iam ſenſus hæc efficere poteſt , quoniam in brutis animantibus,dormientibus,Pueris,& ſtultis non ſunt, ergo poten-
Rōnes pro immortalitate aiæ. tia, quæ has facit ſupra ſenſum eſt , & ſupra ipſum corpus ſeparata,non corporea,ergo immortalis. Etiam quis illuminatu ſpecies intelligibiles? quis illas facit acta intelligibiles? quis deinde ſpeculatur immaterialia, īcorporea , & ſpiritualia ? nonnè obiectum debet correſpondere potentiæ? ſi hæc immortalia,nonne etiā intellectus,qui hæc ſpeculatur,& qui hæc facit? Nonnè ſcientiæ ſunt intellectus? nonnè omnes abſtrahunt a materia,ſenſu, & corpore? Nonnè philoſophia naturalis a materia indiuidua. Matematica a ſenſibili , Metaphiſica ab omni materia, & corpore,atq; etiam Theologia ? ergo ſi per operationem intellectus hæc fiunt,ergo ſeparatur intelligendo à materia & corpore ; & quo magis ſeparatur,eo alius , vt diximus ,
Incorruptibilitas animæ . intelligit . Anima igitur non poteſt corrumpi : quoniā non a contrario, quæ eſt ſubſtantia ; non ab aliqua cauſa naturali , quia pendet à Deo; non per corruptionem ſubiecti,quia non habet ſuum eſſe pendens à materia,niſi formaliter,& inquantum cum corpore cointelligit. ſed cauſaliter nec a corpore dependet , nec ſeparatione corrumpitur . Præterea id , cuius actio tempore non menſura-
Alia ratio tur,æternum eſt,quia omnia corruptibilia tempore menſurantur , ſed actio intellectus non eſt ſubiecta tempori , ergo is eſt æternus. Minor probatur, actio quæ tempore non menſuratur non eſt ſubiecta tempori , actio intellectus non menſuratur tempore , ergo illi non eſt ſubiecta .

ipſa

ipſa enim intellectio animæ non eſt actio tranſiens, quia non tranſit ab anima in ſubiectum ab ea diuerſum; ſed potius dicitur paſsio, atque receptio, cum verè ſit actio circa ſeipſum, ideſt immanens. Sic igitur, ut ait Cicero, habere debemus hominem non eſſe mortalem, ſed corpus; quoniam corpus hoc mortale eſt, animi verò motus ſempiterni, & nobis Deus, ſiue Mater verum omnium natura dedit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius, ait Cicero. ideo ſi Deus, ut idem dicit, ipſum in corpore cõcluſit, & in nobis, ipſum cognoſcere debemus tanquàm quid diuinam, & immortale. Quare, cum rationalis anima naturaliter appetat eſſe, non ſemper erit? non ut aliqui dicunt, ſecundum quod poteſt, ſcilicet inſpecie. quoniam hoc nihil eſſet appetere, ſed ſecundum indiuiduum. Nonnè probabimus animam carere materia, quæ ſit in potentia ad non eſſe? ergo ſemper erit: nec dicendum, quod non ſit ſimplex abſolutè, quia materiæ unitur, quoniam quoad eſſentiam ſuam completa eſt; & ideo ſimplex, quamuis reſpectu corporis, cum ſit creata media ſit incompleta, & ſic cum ſit ſimplex, ergo incorruptibilis: quoniam ut Ariſto in libro de Morte, & uita, iuuentute, & ſenectute, inquit, omne corruptibile interit, uel propter contrarium, a quo ſuperatur, uel propter defectum ſui ſubiecti, a quo conſeruatur, & dependet in eſſe; & fieri, ſed rationalis anima, vt iam nunc diximus, non habet cõtrarium, neque a ſubiecto dependet in eſſe, & fieri, cum ſit, ut probauimus, independens, & idẽ eſſe habeat in corpore, quod extra corpus, ergo immortalis. Quare quæſo omnes ſapientes, & Ariſto. precipue 3. & 9. eth. dicunt fortem pro Republica morti eſſe exponendum? quis ita fatuus deſtrueret eſſe ſuum, propter bonum aliorum, uel virtutis, uel gloriæ, uel alterius rei? ergo hoc dat ſignum immortalitatis. Nec eſt dicendum, ut illi, qui bonum corruptibile ab incorruptibili diſcernere nequeũt, quod poſito, quod Socrates non cognoſcat immortalitatem, debet ſe morti exponere, primò propter momentaneum

Cicero e immortalitate animę

Alia ratio

Alia ratio

Ariſt. rõ demonſtrans cauſas corruptionis rerum.

Ariſt.

Reſp. obiecti fatuorum.

ſibi bonum, & propter commune bonum, quod eſt maius proprio. nam tãtum per accidens curat de indiuiduo, ſed de ſpecie. Dico, quod ſi ſcirent quid eſt ęternitas, & per contrarium quid deſtructio ipſius eſſe, non hæc uerba inſcienter proferrent, ſed potius totum bonum commune negligerent pro momento uitæ. quoniam melius eſt eſſe, & totum bonum deſttui, quàm non eſſe, & melius uidere totius mundi deſtructionem, quàm ſui eſſe poſt mortem. ideò bene dictum fuit, melius eſt eſſe, & eſſe in inferno, quàm non eſſe.

Obiectio.

Et ſi diceret aliquis, quod Ariſt. 3. eth. Ca. 6. dicit, quod fortis in mortis periculo timet, quia ultimum terribilium mors eſt, & mortuo nihil boni, uel mali accidere uidetur.

Solutio.

Dico, quod timet non ratione eſſentiæ, ſed ratione operationis: quia dum moritur, ceſſat ſua operatio, nec poteſt exercere amplius fortitudinẽ. & Verum eſt, quod mortuo nihil boni, uel mali accidere uidetur. quia hæc accidunt animæ, prout eſt in coniuncto. Cum eſt ſeparata, eſt beata anima contemplans nõ bonum, ſed ueritatem.

Quod non ſit probabile ſed certum animam immortalem eſſe.

Et ſic dicendum non ſolum probabile, ut Latini, & alij animam eſſe immortalem: quia, ut Auer. tertio, de anima ait, probabilia autem impoſsibile eſt, ut ſint falſa, ſecũdum totum, ſed eſſe certum, quia non incipit eſſe cum corporis innouatione, ita quod eius eſſe dependeat a principijs corporis: Cum complementum animæ ſit ex prima cauſa agente in generatione hominis, ut Alb. inquit in lib. de Origine animę.

Obiectio.

Et ſi quis diceret, ſi anima rationalis remanet poſt mortem, uel habet eſſe nobilius, uel vilius, uel æque nobile extra, & intra, quodcunque dices ſequentur inconuenientia. ergo non remanet.

Solutio.

Dico, quod anima ſeparata eſt perfectior ſemet vnita, ſecundum quid. quia ut ſic conuenit cũ ſubſtantijs abſtractis: attamen ſimpliciter, & naturaliter eſt perfectior, quando corpori unitur; cum tunc habeat eſſe naturalius, & ſic tam ſeparatio, quàm unio ſunt naturales, diuerſimode loquẽdo: & quãuis homo naturali corruptione corrũpitur, non propter hoc aliquid formale in

eo

co corrũpitur. quia incorruptione rerum naturaliũ hoc accidit, nõ in aĩa, quia eſt ab extrinſeco, & vnitur materiæ p creationem. & ideò poteſt ſeparari a corpore. & ſufficit, quod corrumpatur per ſeparationem formæ a materia. Si ergo in doctrina Ariſto. habemus ipſam extrinſecus aduenire, & nõ ex vi ſeminis cum mare, & eſſe diuinum quid, & ſeparatum a corpore, & manere poſt corpus, & operationem habere a corpore ſeparatam, & eſſe inorganicam potentiam intellectum; ergo colligitur non eſſe ex materia, nec corpoream. Et quando dicunt, anima non poteſt mouere ſecundum Ariſt. neque mouet tempore infinito, ergo non eſt virtus infinita tempore permanſura. Dico, quod non eſt neceſſarium, quod anima moueat tempore infinito: quoniam materia eſt æterna, & tamen non mouet ſemper, hoc competit ſubſtantijs completis. ſed rationalis anima, ut toties diximus, eſt incompleta, & materiæ vnibilis; ideò poteſt mouere, quamuis non tempore infinito. Et ſi inſtant dicenteis, ſi anima eſt ſeparabilis a corpore, ergo mobilis. ſed nullum indiuiſibile mouetur 6. phiſ. non ergo ſeparabilis, quia ſecundum ſe indiuiſibilis eſt. Dico, quod nullum indiuiſibile habens poſituram in continuo, ut punctum, non mouetur. ſed nõ ſic eſt anima, quia in corpore per accidẽs mouetur, & extra corpus per ſe. Et quando Ariſto. in primo de morte, & vita, inquit, corruptis animalibus corrumpitur doctrina, & ſanitas. Item Hippoc. quæque dolentes aliquid corporis dolorẽ non ſentiunt, his mens ægrota, ergo & corruptibilis erit mens. Dicendum, quod Hippocr. loquitur de virtute animali ſita in organo, quæ non niſi per accidens ægrotat, & Ariſto. de Anima, quæ non ſeparatur a materia, uel ab organo. Et quando dicunt, nullum violentum perpetuum, anima uiolenter a corpore ſeparatur, ergo non perpetua. Dico, quod anima facta naturalis violenter diſcedit a corpore: ſed cum facta eſt intellectualis liberè diſcedit, nonnè multi ſunt, qui affectant mori? & ſic uiolentia eſt reſpectu corporis, non reſpectu eſſentiæ animæ. & quamuis ani-

Concluſio immortalitatis aiæ per dicta Ariſt.

Obiectio.

Reſponſio

Inſtantia.

Reſponſio

Ariſt. contra.

Hipp. contra.

Rñdetur ad hipp.

Rñdetur ad Ariſt.

Rõ contra Quod aia poſt mortẽ nõ maneat ocioſa.

ma ſit ſine corpore, non propter hoc manet otioſa, cum intelligat,& habeat operationem ſeparatam,& appetitus quem habet ad corpus,eſt naturalis,denotans iterum debere venire in corpore tempore gloriæ.Nec eſt dicendum, ſtante æternitate mundi appetitus vacuus, & actu infinitum. quoniam data,nihil inconuenit in immaterialibus infinitum in actu.& deinde appetitus non eſt vacuus, qui ſi in corpore operabatur formaliter, extra corpus cauſaliter,& perfectiori modo.Quid amplius dubitamus de immortalitate animæ? Plotinus enim ait anima rebus caducis dominatur,incitamentiſque corporis repugnare videtur, ergo immortalis. Cui adſtipulatur Ptolomeus inquiens, ſapiens dominabitur aſtris, ergo anima dominatur corpori,ergo poteſt ſeparari a corpore. Quid Alb.in lib.de Anima,& in lib.de intellectu? Vniuerſalia,inquit, ſunt in intellectu ſine motu, & tempore, & incorruptibilia etiam ſecundum eſſe, ſecundum quod ſunt in intellectu: aliter enim vbique & ſemper non eſſent,ergo anima incorruptibilis, quoniam eſt ſubiectum iſtorum vniuerſalium,& incorruptibilium. Præterea Auic.in 6. naturalium particula quinta ait.Anima aut corrumpitur aliquo agente in ipſum,& corrumpente eam, quod ſit ei contrarium.& hoc eſt falſum. quoniam nullum penitus contrarium habet.aut corrumpitur propter ſeipſam,diſtantibus his,quæ componunt eam,quod eſt abſurdum:quoniam ſi ſic,eſſet ex contrarijs compoſita. Aut corrumpitur ſi ſimplex eſt per potentiam materiæ,quæ machinatur ad maleficium;& ſi ſic,ergo oportet,ut habeat contrarium, ſecundum vnam uel duas qualitates, uel plures. quod falſum eſt. Aut corrumpitur corpore corrupto,quod eſt falſum, quia eſt ſeparata a corpore, & ſine corpore intelligit. Quid Cyrus maior moriens a Xenophonte introductus ait, non tot honores clariſsimis viris tota exhiberet vniuerſitas,ſi nihil eorum animi efficerent poſt mortem. Nõne etiam Merc. Triſ. facit naturam hominis mortalem, & immortalem? Non nè Pythagoras tranſmigrationem animarum

[Margin: ...nſio obiecti. — Plot. — Ptolome' Alb. pro immortalitate. — Auic. p im mortalita — Cyrus maior moriẽs comprobauit immortalitatem animæ. — Merc. Tri.]

matum ponebat propter uitia hominum? ergo immortalitatem. nam ipſe qui primus apud Italos docuit, immortalem credidit animam teſtante Plutarco 4. de placit. ca. 7. quid plura? Cleombrotus Ambracēſis, & Protinus Stoicus, aud ita opinione Platonis de immortalitate animę in terfecerunt ſeipſos, ut relicto corpore feliciores viuere poſſent. Quid Cicero in Tuſculanis? Inquit enim, fidenti animo, ſi ita res foret gradietur ad mortem, in qua ſummum bonum, aut nullum malum eſſe cognouimus. Quid tandem Socra. in morte, quam ab Athenienſibus accepit, nonne oſtendit veram animi immortalitatem? Criſpus etiam Salluſtius in Cathilinario ait. Noſtra omnis vis in corpore, & animo ſita eſt, animi imperio, corporis ſeruitio magis utimur, alterum nobis cum dijs. alterum cum belluis commune eſt. ergo animus immortalis, cum ſit communis cum intelligentijs. Cui adſtipulatur Ptolom. in principio Almageſti dicens, quod ſcientia ſtellarū con iungit hominem ad id, quod ſimile eſt animæ ſuæ, propter bonitatem formæ, & aſsimilat eum creatori ſuo. ideo quidam aſtrologus, de quodam philoſopho, qui e vita diſcreſſerat, loquens, inquit animæ locum eius eſſe inter ſanctos in ſempiterna gloria. Et ſic non ſolum per rationes, per ſigna habemus immortalitatem animæ: ſed etiam per propria Ariſtotelis, & multorum ſapientum verba. Vnde non bene Gregorius in libro ſuo de homine, ait philoſophos, Stoicos, & Ariſto. conuenire, dicentes animam mortalem eſſe, & in corpore genitam ex ſemine a patre, & matre. Ariſto. enim ultra prædicta, quæ diximus in perigeneſeos ſecundo inquit. inconueniens autem & ſi anima ex elementis ſupple ſit, quemadmodum Empedo. aut vnum aliquod eorum, quemadmodum Democ. qui ignem eam dixit. quod declarat per hoc, quod nullum propriū opus animæ eſt phiſicum, ac indiuiduum, & corporale. ipſamque ideo nec ignem, nec in elementis conſiſtentem ait eſſe. ergo anima, & quoad eſſe, & quoad operari, ſeparabilis eſt. Præterea 16. de animalibus regulam ponit Cap. 10. dicens.

Pyt hagoras.

cleōbrot & Protin' ꝑ immortalite aiæ ſe interficerunt.

Cicero ꝑ immortalitate.

Socratis mor indicans immortalitatem.

Ciſpus Salluſtius pro immortalitate.

Ptolome'

Dictum cuiuſdam Aſtrologi de loco aiarū

Gregorius in libro ſuo de humine male damnat Ar. & alios Ariſt. auth. ꝑ imortalitate.

Ariſt. 16. de aīalib. cap. 10.

 cens.

cens. Quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt. verbi gratia, ambulare ſine pedibus per oppoſitum eſt contrarium. ergo cum operatio animæ ſit ſine corpore, ergo immortalis. Quod cõfirmans Auer. in primo de Anima dicit, quod

Auer. in confirmationem. intellectus non eſt neque generabilis, neque corruptibilis, niſi quia habet inſtrumentum corporale. & ideò ſecundum id quod agit, aut ſecundum id a quo patitur, dicitur

Ariſt. Themiſt. corrumpi per ſuam operationem. Idem Themiſt. Cap. 25. videtur intellectus intus accidere, ut ſubſtantia quædam nec aboleri, aut corrumpi, alioquin maximè aboleretur ab ea inualentia, quæ ſenectuti contingit. Præterea ſi Ariſto. alium ſtatum poſt mortem confitetur, quare ergo dubitare de eius mente? Decimo enim eth. Cap. 7. ait cõte-

Argũ ex Ariſt. dictis ꝓ immortalitate. platiuam vitam omnium fœlicisſimam eſſe, eo quod humanæ naturæ ſit propria, & iucundisſima, quia a mente proficiſcitur, quæ omnium rerum eſt diuiniſsima. & per quam maximè homo eſt. idque vitæ genus actiuæ præferendum eſſe cenſet. hanc autem contemplationem non humanarum, aut mortalium rerum debere eſſe ait. ſed immortalium, & earum, quæ ſupra hominis naturam ſunt. & huius dicti rationẽ reddit, dicens, ut immortales noſmetipſos faciamus, & ea uita uiuamus, quæ ab eo manat, qđ eſt omnium, quæ nobis inſunt præſtabilisſimum. quam vitam mentis, ſcilicet alibi ſine corpore eſſe poſſe confirmat. Nam primo ethic. Ca. 10. de Solonis ſententia diſpu

Ariſt. primo het. c. x. pro immortalitate. tans, ait mortuum beatum tutò dici poſſe, quia eſt extra omnia mala. nemo autem tam fatuus eſt, qui non ens beatum dicat. Amplius Auer. ex tractatu de beatitud. animæ ait. intentio mea in hoc tractatu, eſt declarare beatitudi-

Aue. trac. de beat. aĩę nem ultimam animæ humanæ in hoc mundo, & in futuro, ſecundum principalem intẽtionem philoſophorum. Vnde demonſtrat philoſophos poſuiſſe alium ſtatum. Et

Explicatio dicti Ar. 1. & x. eth. quando Ariſto. primo & decimo eth. dicit, quod mortuus non poteſt dici felix, verum eſt: quoniam poſt mortem dicitur beatus, cum felicitas ſit temporalis, & in hac uita, &

beati-

beatitudo æterna, ideò propriè loquendo dicit, quod non dicitur felix, ſed beatus, quia anima fortunata exiẽs e cor pore in æternum perficitur propter intellectionem abſtractarum, ut uidebimus, & ut ait Algazel in logica, & philoſophia tract. 5. Quid amplius dicent philoſophaſtri de animæ immortalitate? Erunt ne amplius dubij? Calumniabunt amplius Ariſtot. & alios ueros philoſophos? Conſurgent forſan contra nos dicentes rationes firmas nos non adduxiſſe? Legant ſcripta noſtra, ita quod non negligant, intelligant rationes, diſcurrant exempla, ſigna, ſimilitudines, inditia, & denique memoriam teneant de principijs noſtris, & uerorum philoſophorum, & tunc uidebunt omnia in defenſionem Ariſto. philoſophorum, & ve ritatis a nobis adducta eſſe exemplis, rationibus, atque au thoritatibus infinitis comprobata. Taceant igitur impij, ignaui, & flagitioſi, qui tanquam crudeles, inhumani, & uentri dediti animæ mortalitatem credunt; quoniam phi loſophos ſpernunt, ueritatem calumniant, leges conculcant, & denique omnia in beſtialem naturam conferunt. Erubeſcant inſani, furiori, & frenetici, qui tanquam terre ni, & ſenſuales, omnem pietatem, & diuinum cultum proſternunt, ſuadentque mortalia mortalibus tantum curare, negligentes immortalitatem, quam habent. Reſoluentur iam melancolici, per noſtra dicta, & non amplius demoniaco humore ſuo diffidant de animæ immortalitate, & ambigant. Et ignari denique, atque iuuenes furioſi corrigantur, ne amplius propter diffidentiam ſuam, & imperitiam, animi deficientiam credant. Non nè uidetis, quod per omnia ſecula fuit religio? & quod omnes coluerunt unum, quod appellatur Deus? ergo fidem de animæ indeficientia, & de futura vita habuerunt; ad quid quæſo colere aliquem, ſi anima mortalis eſt? Nonne homines ante leges ſolo lumine naturali crediderunt animam immortalem? Nonne Heſiodus, & Orphæus poetæ, qui de diuinis ſcripſerunt vetuſtiſsimi, de immortalitate animorum apertiſsimè ſcripſerunt? Nonnè denique omnes

Religio fuit ſp quę indicat aię immortali tatem.

Solo lumi ne naturæ li hoies animam im mortalem crediderũt

Heſiodus & orphæ' ꝑ immortalitate.

omnes legiſlatores enunciauerunt hanc immortalitatẽ & docuerunt homines virtuoſe uiuere,& leges ſuas in aliquod numen ſemper tanquam ab eo ſuſceptas retulerũt? Volentes oſtendere originem, & principium animarum noſtrarum. Sic Zoroaſtres Bactrianus, & Peſis leges tradẽs reduxit in Onomaſin. Triſmegiſtus Aegyptijs in Mercurium. Moſis Hebræis in totius naturæ patrom, & authorem Deum. Minos Cretenſibus in Iouem. Carondas Cartaginenſibus in Saturnum. Lycurgus Lacedemonijs in Apollinem, Solon Athenienſibus in Mineruam. Numa Romanis in Egeriam. Xanolchis Scithis in Veſtam. Plato ſiculis in Ionem, & Apollinem. Ieſus ſeruator noſter in Deum patrem, quæcunque inquit audiui a patre meo nota feci vobis. Maumeth ſeductor in Gabrielem. Maiores enim, ſi non credidiſſent, animæ immortalitatem, non conſtituiſſent legem, iuxta dictamen naturæ eam aſſeuerantem, cui nemo contradixit, niſi vitijs implicitus. Pudeat ergo eos ſi Chriſtiani non ſunt non malle immortalitatem iam patefactam,& communi omnium penè gentium aſſenſu celebratam, ſyncera in luce credere, quàm ex obſcuris philoſophorum puteis, & antris mortalitatẽ expiſcari. Si verò Chriſtiano cenſentur nomine, pudeat eos, ſi homines colere volunt non malle cum Theophraſto, cum Themiſtio, cum Simplicio, cum Philopono, cum Sophronio, cum Theodoro Methochite ſapere: quàm cũ Gaetano, Herueo, Scoto, Pomponatio, Portio, & cæteris huiuſmodi, qui in ſuam ſententiam Ariſto. trahunt, quanquam inuictum,& reluctantem. Similiter non intellexerunt Ariſt. Dicearcus,& Ariſtoxenus ipſius Ariſto. auditores, qui, vt refert Mirandulanus lib. 4. Examinis, dixerunt animam mortalem. Non conſiderarunt ſimiliter Plutarchus lib. 5. de Placitis philoſophorum, Galenus, & Theodoretus lib. de curandis græcanicis affectionibus, quod Ariſto. in libris de anima conſiderat animam, prout ſpectat ad naturalem,& ut talis etiam ponit immortalem, æternam, & incorruptibilem, cum partes eius rationalis

poſsi-

Q̃ oẽs legiſlatores aiæ immortalitatem enunciauerunt.
Zoroaſtres.
Triſmegiſtus.
Moſes.
Minos.
Carõdas.
Lycurgus.
Solon.
Numa põpilius.
xamolchis
Plato.
Ieſus.
Maumeth
Teophilus The. Sipl. Philop. Sophronius, Theodor⁹ immortalitatẽ docuerunt..
Gaetanus Herueus Scot. Põponatius Portius Ar. falſæ accuſarunt.
Dicearcus et Ariſtoxen⁹ ignorarunt Ar.
Idẽ Plat. Gal.& Theodoretus.

poſsibilem & agentem per prædicata æterna, & incorruptibilia deſcribat. Vbi nam reperitur verbum aliquod expreſſe Ariſto. de mortalitate? Quare igitur per conſequentias extortas, per expoſitiones ignaras, & per imperitiam intentionis eius doctrinæ velle fateri ipſum tenere mortalitatem animæ? Si ergo primo de anima tex. 66. intellectus eſt quid diuinum, & impaſsibile, & ſecundo de anima 22. poteſt ſeparari a vegetatiuo, & ſenſitiuo, ſicut perpetuum a corruptibili. & tertio de anima 20. in actu eſt, & 12. met. 17. non eſt ante corpus: ſed manet poſt, quia habet actionem a corpore ſeparatam, ſcilicet contemplationem, & ſecundo de genera. ani. ca. tertio. Cum actione intellectus nihil communicat corpus, & 1. de partibus ani. Nó eſt phiſici tractare de omni anima. ergo cum hæc omnia, quæ ſuperius diffuſius explanauimus competant rebus æternis, immixtis, impaſsibilibus, & immortalibus, ergo ſecundum Ariſto. Anima immortalis erit. Nonnè Ariſto. Græcus fuit? Nonne Græci ſuam philoſophiam ab hæbreis referente Ioſepho lib. 1. contra Appion, Euſebio lib. 10. de præparatione, & Beroſo lib. 3. habuerunt? ſed hi quæſó nonne animæ immortalitatem problemabant? Anima igitur rationalis, vt potè res diuina, & immortalis, a ſolo Deo immediate habet eſſe, & eius voluntate, ac poteſtate eſt producta; & ita eius quoque poteſtate, ac voluntate conſeruatur, quæ in corpore formaliter pendet a phantaſmate, tanquam ab excitante; ſed nó propter hoc ſequitur, ergo ſeparata non intelligit, immo etiã in corpore, cum non conſideratur formaliter, & facta intellectualis poteſt intelligere abſque excitatione phantaſmatum, cum habeat omnia intelligibilia in ſe, & actu fieri poſſunt ab intellectu agẽte, quæ cum actu facta ſunt, non indiget amplius phantaſmatum.

Præterea nonne poteſt coniungi in hac uita intellectui extrinſeco agenti, & lumini diuino, & habere ſcientiam infuſam? ergo & in corpore, & extra corpus non pendet a phantaſmate, niſi inquantum formaliter conſideratur,

idest

Conclusio immortalitatis aiæ ꝑ dicta Ari.

Rõ ꝑ immortalitate

Rõ ꝑ immortalitate.

ideſt dum cum corpore operatur per potentias veget. ſenſiti, & cogitatiuam: non autem cauſaliter, quia tunc ſeipſam intelligit per propriam ſuam operationem, quæ à corpore non dependet. Vnde diſtinctio Toleti, quod anima dum in corpore eſt, per corpus medium intelligit, tamen ſeparata ſine ipſo intelligit, modusque variatur: non tamen ſubſtantia intellectionis, quia ſemper eſt ipſa anima, quæ immediate intelligit. Dico, quod etiam in corpore ſine corpore medio, ut diximus, poteſt intelligere. quia dum facta eſt intellectualis, non indiget excitatione phantaſmatum, ad intelligendum. Vnde nõ eſt modus uarius, ſed idem. ſed in corpore intellectio parum durat, & extra corpus ſemper. Vnde quando operationes hominis deficiunt, hoc prouenit, ut diximus, ratione corporis, & non ratione animæ, ſecundum ſe; immò anima magis intelligit in ſenio, quàm in iuuentute & in infirmo, quàm in ſano, quia non impeditur a paſsionibus ſenſus, & tunc liberè poteſt agere. Ex quibus quidem omnibus manifeſtè conſtat, quantum illi delirent, quãtum temerariè opinentur, qui dicere non uerentur, probari neceſſaria ratione naturali non poſſe animæ immortalitatem? Quis enim replebit intellectus infinitam capacitatem, quæ in hac uita repleri non poteſt? niſi Deus poſt mortem. ſi ergo infinita eſt capacitas, ergo & duratio erit perpetua, quia quale perpetuum rei, talis eſt rei eſſentia, & exiſtentia; & quale vnum proprium tale, & aliud: ſi vnum infinitum, ergo & alterum. Certum enim eſt, quod intellectus noſter iudicat de rebus immaterialibus, & ipſorum habet ſcientiam, ergo habet pro obiecto totum ens non ſolum materiale, ſed & immateriale, ſed dum eſt in corpore nõ poteſt ſemper talia intelligere. ergo alius ſtatus poſt corpus, in quo ſemper intelliget.

Præterea intellectus cum pro obiecto habeat omne ens non poteſt acquieſcere donec eum poſsideat, ſed in hoc corpore raro ergo poſt mortem uenit ad claram omnium entium cognitionem, quæ ſemper durat. Aliquis autem

poſſet

Reiicitur Toletus q dicit quod aïa p corpus mediũ intelligit. Aïa ſine corpe medio intelligere põt.

Defectus opatio nã animæ unde proueniat.

Rõ p immortalitate.

Alia rõ

Ratio pro immortalitate.

poſſet nobis obſtare,dicens. Alexander non nè fuit ſumus peripateticus? & tamen expreſſe mortalitatem intellectus materialis tenet,& æternitatem intellectus agentis.Nam Auer. multis rationibus redarguit Alexandrum probans, quod intellectus non eſt factus ab elementorum poteſtatibus, & quod intellectus non ſit præparatio. Similiter Alber. in libr. de origine animæ, tract. ſecundo. Narrata opinione Alexandri contradicit ei quatuor modis, ſcilicet ex exemplo eius,ſecundo ex verbis Platonis, ſtoicorum , ac peripateticorum , tertio reddit ipſum contra ſe, quarto arguit directè contra poſitionem eius. Poſſem dicere , quod non ualet , Alexander fuit ſummus peripateticus , Alexander tenet mortalitatem animæ ergo anima eſt mortalis , uel ergo Ari.tenet etiam Reſponſio
ipſe mortalitatem animæ quoniam etiam alij ſummi philoſophi fuerũt in errore,& per rationes ſupradictas,& per nouum noſtrum ueritatis Lumen in tres libros Ariſt. de anima,ipſum non intellexerunt.ſed ne uideamur ità facile deſpicere dicta antiquorum , uidebimus explicare intentionem ſuam,quæ ſi erit rationi conſonans, acceptanda erit ; ſin autem e contra damnandus erit cum alijs falſis Philoſophis.

Digreſsio

Digreſsio in defenſionem Alexandri, circa Immortalitatem Animæ.

Io. Picus tenet ſcd'm Ale. aīam rōnalē immortalem eſſe.

HAbemus multas authoritates, rationes, atque etiam dicta ſua, quæ demonſtrant ipſam non expreſſe (*vt ita dicunt*) ſenſiſſe animæ mortalitē. Ioānes enim Picus in concluſionibus ait. Anima Rationalis eſt immortalis prima ſecū dum Alexandrum. Amplius Alexander in libro ſuarum quæſtionum habet hæc uerba. Noluit mundi opifex diuinos hominum animos corporibus terrenis abſque cōgruo quodam medio colligare: quod quidem medium uehiculumque nominat, ergo appellat diuinos, ergo immortales. Præterea dicit. Anima & ſi ſit, tamen in corpus mortale demerſa uidetur eſſe mortalis, ergo quod uidetur nō eſt, ergo tenet animam eſſe immortalem. ſed dixit, videtur ratione operationis, quoniam recipit ſingulariter, & diſcurrit particulariter & ut ſic uidetur mortalis, quoniam formaliter corrumpitur, quamuis cauſaliter ſit æterna. Adhuc primo de anima, ait. Anima eſt ſuapte natura immortalis incorporeaque; & cum ſit ſpecies corporis, eſt inſeparabilis ab eo, ergo ſi quoad ſuam naturam eſt immortalis, ergo ſemper, & in corpore, & poſt corpus; & cum dicit, quod eſt inſeparabilis a corpore, cum ſit ſpecies, vult oſtendere, quod inquantum eſt forma eſſenſificās corpus ab eo eſt inſeparabilis. quoniam ante ipſum corpus eſſe non poteſt. Nonnè Alexander dicitur primus inter peripateticos? Si ergo primus, ergo debet ſegui Ari.

Alex. in li. qſt. fatetur immortalitate aīæ.

Idem.

Idem 1. de anima.

Sed

Sed Ariſto.cum loquutus eſt de anima, in tribus libris ipſam prout ad naturalem ſpectat, declarauit, & conſiderauit. Similiter Alex. Nam lib. primo de anima in Ennarratione habet hæc uerba. Propoſitum noſtræ inſtitutionis eſt, ut de anima diſſeramus, quæ verſatur in corpore, & ſuas operationes edit cum corpore, & quis eſt ita ignarus, quod non fateatur, quod anima uerſans in corpore, & facta naturalis ſine corpore, operari nõ poteſt, nec per ſe eſſe? Nonnè in Epilogo de Fato, ait. Hæc ſunt uos o diuiniſsimi Imperatores opiniones Ari. de Fato, & eo quod in nobis, ut ego opinor ſummæ, ſecundum quam opinantes, & in Deos pij erimus, modo ipſis agentes gratias pro beneficijs, quibus ante ab ipſis affecti ſumus, modo ab eis petentes, ut potè his quibus dandi, non dandiuè facultas inſit. Ad quid quęſo uti pietate erga deos, & ab ipſis aliquid petere, ſi anima eſt mortalis, & nihil poſt mortem ad ijs expectare poſsimus? Philoſophi enim Peripatetici ratione ſemper proceſsi fuerunt in deſcribendis rebus, ut eius philoſophia ab omnibus percipi poſſet, & amplecti, quod ſi intellectu proceſsiſſent, non philoſophi; ſed potius Theologi eſſent. iſti enim intellectum, & illi rationem inſequuntur. Præterea libr. 3. Cap. 13. dicit, quod facultatem habemus conſultandi, & non conſultandi: & quod imaginatio non eſt domina conſultationis, ſed in nobis ab initio eſt ipſa conſultatio. ergo ſi non ab imaginatione, non a ſenſu, & non a corpore, ergo ab anima, quæ incorporea eſt, & diuina. Amplius lib. 4. Cap. 25. dicit, quod diſcurſiuæ actiones ſunt cognitiones earũ rerum, quæ aliter ſe habere contingunt. intellectualis autem actio quidem æternarum ſubſtantiarum cognitio, ergo ſi reſpectu intellectus actiones ſunt æternę, ergo etiam eſſentia, a qua proueniunt æterna, & immortalis. Ex dictis etiam Auer. quamuis fuerit cõtra ipſum, poteſt declarari intentio Alexandri. In tract. enim de animæ Beatitu. cap. 2. dicit. Alexander ſentit, quod natura iſtius intellectus materialis non ſit niſi præparatio quædam in anima,

Obiectio. Alex. ſequit᷑ veſtigia Ar. circa conſiderationem ipſius aiæ.

Alex. dictũ in epilogo de fato pro immortalitate aiæ.

Modus procedendi peripateticorum.

Alex. li. 3. c. 13. rõ pro immortalitate.

Idẽ lib. 4. c. 25.

Ex dictis Auer. elicitur ꝙ mẽs Alex. fuit tenere immortalitatem.

niam tanquam patiens eſt præparatio, & in potentia ad ſenſibilia recipienda, & proprium lumen hauriendum, tanquàm agens comparatiuè eſt præparatio,& diſpoſitio, & in potentia ad diuinum lumen, & veritatem rei cognoſcendam. Ideò bene dicit in lib. de intellectu hæc verba, ſcilicet intellectus non eſt in nobis, ſed fit cum noſtra generatione. agens autem ab extrinſeco uenit. uolens inferre,quod intellectus agens uniuerſalis non eſt in nobis, ſed ille intellectus, qui eſt in nobis, ſcilicet anima rationalis habens partem paſsiuam,& actiuam in ſe,fit cum generatione noſtra,id eſt infunditur,quando generatur corpus.& talis dicetur præparatio, quoniam eſt in potentia, & præparatus ad veritatem rerum intelligibilium,& ſenſibilium,qui poſtea ultimò perficitur ab agente uniuerſali, qui extrinſecus aduenit.& quoniam agens eſt ab extrinſeco,non intelligimus res ſecundum ueritatem, ſed ut ſunt uera. Vnde iuremeritò præparatio ad ueritatem cognoſcendam ab Alexan. appellata fuit intellectus. Ariſto.uerò loquutus fuit de anima rationali ſine reſpectu agentis uniuerſalis; quoniam ipſam uoluit conſiderare tantum, ut ad naturalem pertinet. & quomodo per ſeipſam abſque lumine intellectus extrinſeci, & diuino perficiatur, & ideò tertio,de Anima tex. 36.ait utrum autem contingat aliquod ſeparatorum intelligere ipſum exiſtentem non ſeparatum a magnitudine, an non, conſiderandum poſterius,ita quod Ariſtotelis noluit tranſire limites naturales, nec ipſam uoluit conſiderare in comparatione intellectus agentis extrinſeci, reſpectu cuius uerè dicetur ab Alexand. Præparatio. Et quando Ariſto. dat Exemplum de lumine; & coloribus, non propter hoc intendit intellectum agentem extrinſecum, ut demonſtrauimus ſuo loco. quoniam hoc exemplum tantum poteſt applicari intellectui agenti particulari hominis,reſpectu poſsibilis; quantum intellectui agenti uniuerſali extrinſeco, reſpectu agentis particularis hominis. quia ſicut agens hominis eſt actu reſpectu poſsibilis, ſic eſt potentia quodā-

modo, reſpectu agentis uniuerſalis. Et quando Alexand. primo de anima dicit, intellectus agens eſt immixtus, impaſsibilis, maximè intelligibilis, purus actus, & pura forma circa materiam, & potentiam omnem incorruptibilis, ac propriè intellectus, talis autem apud Ariſt. eſt prima cauſa, quia eſt cauſa reliquis omnibus, ut ſit. Dico, quod vult inferre, quod abſolutè, & eminenter hæc prædicata competunt propriè Deo; ſed contractè, & participatiuè. Animæ rationali. & hoc omnes fatentur. ſed non oportet, ut expoſitores inferant hanc conſequentiam. hæc prædicata ab Ariſto. data fuerunt intellectui agenti, ergo eſt extrinſecus. quoniam hæc prædicata participatiuè conueniunt agenti intrinſeco etiam, & ideò, ut oſtenderet ſuam æternitatem, & eius naturam per prædicata æterna, ipſum deſcripſit. Sed contra noſtram declarationem inſurgent inflati philoſophantes, intenti tm̃ ad deſtructionem, & nõ ædificationem, & ad veritatem occultandam, ſuis argutijs & fallacijs, & non manifeſtandam, dicentes. Alexander. Manifeſtè declarat præparationem hanc eſſe mortalem, & intellectum eſſe mortalem. Nam ſecundo naturalium quæſt. ait. Anima indiget materia, ad hoc, vt ſit, ideò impoſsibile eſt ſeiunctam eſſe; eſt enim forma materialis, ideo nec per ſe mobilis, ſic arguo. Non eſt per ſe mobilis, ergo mortalis, eſt forma materialis, ergo mortalis; nõ poteſt ſeiungi a corpore, ergo mortalis, indiget materia ad hoc, ut ſit, ergo mortalis. Maximum certè argumentum iſtorum, qui ſe philoſophos non modo, ſed doctores etiã ſapientiæ eſſe iactant, cum & ignari aliquando, & intelligentia uacui ſint. credũt enim maximos philoſophos magis, & multitudine verborum ueritatem explicaſſe, ſtuduerunt ipſi, & maximè ſapientes græci breuitati, & paucis uerbis ipſam ſapientibus declararunt. Ibi Alexander cum dicit, anima indiget ad hoc, ut ſit materia: tangit creationem animæ. nam ait, ad hoc, ut ſit anima, & informare debet corpus, ſicut tenemus, oportet, quod ſtatim corpus ſit præparatum, quoniam impoſsibile eſt eſſe ſeiunctam: id-

Rõnes aduerſariorũ contra Alex.

Prima impugnatio.

Reſponſio ad arg. aduerſariorum.

eſt

eſt impoſsibile eſt eſſe ante corpus, neque venire poſtquã generatum eſt corpus. ſed ad hoc ut ſit, oportet, quod ſtatim generato corpore, ipſa per creationem infundatur. & & reddit rationem, quoniam dicit, eſt enim forma materialis, ideſt non ſeiungitur ab ipſa, quoniam dat eſſe corpori, ideò ſi dat eſſe corpori, ergo oportet, quod incipiat ſimul cum corpore. & cum ita ſit, non eſt poſtea per ſe mobilis. quoniam ratione corporis eſt diuiſibilis, & ratione corporis mouetur, quamuis de ſe ſit indiuiſibilis. Et ideò paulo inferius ait, explicans hanc ſuam intentionem, anima eſt ſuapte natura immortalis, & incorporea, ideſt creata eſt incorporea, & immortalis. ſed quoniam debet dare eſſe corpori, ideò non poteſt eſſe, niſi ſimul cum corpore. & ideò dicit, & cum ſit ſpecies corporis, eſt inſeparabilis ab eo habens reſpectum ad creationem, non ad ſeparationem poſt mortem: ideò bene dicebat in corpus mortale demerſa videtur eſſe mortalis. quoniam in corpore per diuerſas potentias, quas habet, recipit formas materiales. ſed de ſui natura eſt immortalis, quia poteſt ſeparari. Etiã dicent, Alex. primo de Anima ait. Nulla animæ functio abſque corpore, ergo mortalis, hæc propoſitio ſimilis eſt illi Ariſto. oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. ſed dico, quod anima, ut toties diximus, ratione corporis non operatur abſque ipſo, ſed ratione ſui poteſt intelligere abſque phantaſmate, & operari ſine organis corporis, donec etiam eſt in corpore. Præterea, quando dicunt, Alex. primo de Anima ait. Anima non adeſt animali ſeparabiliter, ita ut per ſe poſsit conſiſtere, ut gubernator naui. is enim nec perfectio nauis eſt, cum abſque illa poſsit nauis ſubſiſtere. Dico, qdod anima cum det eſſe per ipſum non eſt ut nauta in naui, quia nauis remanet eadem abſente nauta: ſed abſente anima, homo perit, & non remanet idem, ideò anima eſt perfectio hominis, & corporis, ſed bene ſeparatur a corpore, ſed non tanquã nauta: ita quod poſsit ſeparari, & adhuc remanere homo. remanet bene corpus mortuum, quod appellatur cadauer, ſed non amplius

Secunda impugnatio.

Reſponſio

Tertia impugnatio.

Reſponſio

plius dicitur homo, ſicut nauis, quæ cũ nauta, & ſine nauta remanet nauis. & hoc intendit Alex. Amplius dicent,

Quarta impugnatio. primo de Anima habet hæc uerba. Harmonia eſt corporum temperamentum, cuiuſmodi non eſt anima, quamuis ſine eo eſſe non poſſit: ſuperuenit enim ex huiuſmodi temperamento, eſt enim mixtionis forma. Sic arguo, eſt mixtionis forma, ergo mortalis. Superuenit ex huiuſmodi temperamento, ergo mortalis. Sine temperamento eſſe non poteſt, ergo mortalis. Et ego è contra dicam, anima non eſt harmonia, ſicut illa corporum, ergo immortalis.

Reſponſio. Anima ſuperuenit, ergo non reſultat, quoniam ſuperuenire, eſt extrinſecus uenire ſupra rem iam factam; ergo immortalis.

Declaratur intentio Alex. Vnde, ut exponamus intentionem Alexādri, ſciendum, quod bene Alexander dixit, quod anima non eſt armonia, ut illa corporum, ſcilicet ex mixtione elemētorum conflata, & tamen dicit, quod non eſt ſine corpore: quia incipit cum corpore, quoniam per creationem in inſtanti cum generatur corpus, infunditur anima, & ſic eſt mixtionis forma, ideſt forma iſtius corporis mixti; quia dat ipſi eſſe, & facit ipſum eſſe corpus humanum, quoniā ex ipſa, & corpore fit homo. Dixit enim, ſuperuenit, oſtendens, quod non ex mixtione reſultat, ſed ſuperuenit dum corpori infunditur, & dum generatur corpus harmonicum ab extrinſeco per creationem. Vltimo dicent

Vltima impugnatio. Alex. primo de anima ait. intellectus materialis, cum anima cuius eſt poteſtas interit, ſi eſſentia, & potentia intereunt, ergo mortalis.

Reſponſio. Dico, quod etiam Ariſto. dicit. quod intellectus paſsiuus, qui eſt potentia animæ, quod corrumpitur, & tamen non corrumpitur, niſi formaliter, quia nō operatur anima per illam potentiam poſt mortem. ſic in propoſito dico, quod Alex. vult dicere, quod remota eſſentia, ſcilicet anima, non datur intellectus materialis: quoniam potentia ſequitur eſſentiam, non eſſentia ex neceſsitate potentiam. ideo, cum anima interit, ideſt quando anima ſeparatur a corpore, uel per ſpeculationem, uel per mortem quæ interitus dicuntur: tunc non amplius reperi

tur

tur intellectus materialis, vel virtus cogitatiua, nec potentia aliqua; ideò interit formaliter, quia non operatur amplius: quia omnes potentiæ actuatæ ſunt in ſua eſſentia, & abſorptæ; & ſic hoc interire non eſt quoad eſſe, ſed quoad remotionem animæ, uel ſeparationem a corpore. & hic eſt modus loquendi apud doctiſsimos grauiſsimosque philoſophos. Sic etiam Xiſtus Pythagoricus dicit, infidelis homo mortuus eſt in corpore uiuente, quomodo quæſo mortuus eſt, ſi eſt in corpore uiuente? Sic etiam hic dicit Alex. quod interit, quoniam non operatur cum phantaſmate anima, ſed per ſe intelligit, vel quando ſeparata eſt a corpore dicitur interire: quia non eſt amplius coniuncta corpori, & ſic philoſophi per varios modos loquuti ſunt. Nonne ſecretiores philoſophi dixerunt, hominem interire, quando agenti intellectui vniuerſali copulatur? & hunc interitum mortem oſculi nuncuparunt: quæ in hac uita diu durare nō poteſt. quod ſi diu in tàli contemplatione homo ſtaret, abſorberetur a numine. Et quando dicit. Nullum autem genus tale eſt, ſcilicet anima ut poſsit per ſe ſubſiſtere. Vnde probat, quod non ſit ſpiritus, quia ſpiritus habet per ſe ſubſiſtentiam. Verum eſt, quia cum creatur cū corpore ſimul creatur, & cum ſit ens incompletum, ergo non habet per ſe ſubſiſtentiam, quia indiget corpore, ut compleatur ratione operationis, quas edere poteſt. Nam ſine corpore ipſas edere non poteſt formaliter, niſi cauſaliter. quoniam tūc ad unam ſimplicem reducuntur, ſcilicet contemplationem, & intelligentiam. Nam uiuit, & ſentit anima intellectiua poſt mortem, modo intellectuali. Ex dictis igitur noſtris poteſt comprehendi, quod non bene Sanctus Thomas, & Alb. exponunt Alex. dicentes. Eadem inquiunt ferè eſt opinio Alex. cum noſtra opinione, quia Alc. poſuit intellectum eſſe præparationem illam, ratione cuius anima corpus excedebat, atque apta erat recipi, quaſcunque ſpecies. Nos quoque ponimus huiuſmodi potentiam corpus excedere, ſola differentia eſt inter Alex. inquiunt, &

Quō dicitur hominterire ſcd̄m ueros philoſophos.

Obiectio. Reſponſio.

Falſa expō Albérti, & S. Tho. cōtra Alex.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De corollario ſecundo cauſæ Formalis, Quod eſt Animarum Rationalium plurificabilitas,

Liber Quartus.

DECLARATO primo corollario cauſæ formalis ipſius definitionis: nunc ueniemus ad ſecundum, & uidebimus quo modo animæ Rationales tot numero ſunt, quot homines reperiuntur ſeruata ſemper earum immortalitate à nobis ſuperius, ſignis, rationibus, atq; authoritatibus, rectè, perfectéq; comprobata. Et quoniam in hac re multæ

multæ fuerunt opiniones, ideò antequam ad comprobationem veritatis accedamus, pro facile intelligentia propoſiti noſtri quædã principia rationabilia, intellectualia, atque philoſophica a Peripateticis, Platonicis, omnibuſque philoſophis conceſſa, atque approbata in medium adducemus; vt nullus his habitis, & deinde authoritatib. atque noſtris rationibus conuictus, amplius de hac veritate dubitare poſsit; & ne etiam aliquis poſt hac (niſi ſit philoſophiæ, atque ſcientiarum deſtructor) audeat de hac re uerba facere. Poterunt bene multi, non ad maiorem rei perfectionem, ſed ſolum ampliationem multa addere, quæ breuitatis cauſa relinquimus. non eſt enim hæc intentio noſtra, cum ſcientificis conueniat nec in ſuperfluis abundare, nec in natura rei deficere, ſed eius eſſentiam perfectè tantum explicare.

Incipientes igitur dicimus, quod omne; quod a Deo dependet, compoſitum eſt ex materia, & forma. Nam materia diſtinguitur ad entium diſtinctionem; quoniam ſicut quædam ſunt entia naturalia, quædam cœleſtia, & quædam ſupercœleſtia: ita oportet ſtatuere, (ne plures dentur materiæ diuerſę, & fiat diſsimilitudo, atq; aurei mundi Cathena diſrumpatur; & denique, quod uniforme eſt, ne fiat diuerſum, atque difforme unam ſolam materiam, quæ ſeruiat diuinis, & appellabitur metaphiſica, & eadem quæ ſeruit cœleſtibus, ab Auer. dicitur materia in actu, & cum ſeruit corruptibilibus propriè, ratione maximæ imperfectionis materia, & potentia appellatur. Vnde uanum eſt inferre ex multiplicatione rerum, ratione materiæ corruptibilitatem, quoniam hoc patitur limitationem. Nam uerum eſt, quando res multiplicantur ratione materia naturalis, non autem cœleſtis, & diuinæ. Non ſequitur, hoc habet materiam, ergo eſt corruptibile. Verum eſt in inferioribus, non autem in ſuperioribus. quoniam corruptio cauſatur ex ſuper abundantia materiæ, quæ propria eſt inferiorum, conſeruatio, & perpetuitas, atque immortalitas ex æqualitate materiæ, & formæ,

Materia diſtinguitur ad entium diſtinctionem.

vel

uel ſuprabundantia formæ in materia. quoniam ſicut in rebus diuinis eſt maximum formæ, & minimũ materiæ: ita in inferioribus eſt maximum materiæ, & minimum formæ: in cœleſtibus uerò æqualitatem formæ, & materię, & ideò res diuinæ ſunt digniores quàm cœleſtes. quoniam habent plus formæ, & quia habent aliquid materia, ideò etiam ipſæ mouentur (cum ſolus Deus ſit immobilis ita tamen ut immobilis apparent, cœli uerò, quia habent tantum materię, quantum formæ, ideò cõtinuo mouentur, & quantum materia appetit, tantum forma ſatiat eius appetitum, & ideo remanent incorruptibiles. Materia verò inferior, quia habet minimum formæ, & ab ipſa forma multum diſtat: ideò ſuſcipit continuo formas. & cum ſit imperfecta propter talem diſtantiam, requirens perfici, cum in inſtanti uno perfectionem ſuſcipere non poteſt, quemadmodum intelligentiæ, ideò ſuceſsiuo ipſas recipit. Vnde non ualet dicere, Proprium eſt materiæ eſſe in potentia ad corruptionem, ergo omnia quæ habẽt materiam, tendunt ad corruptionem. Verum eſt de materia inferiori non de ſuperiori: quia ſuperatus, ſatiatur, & conſeruatur a forma ſua. unde, cum anima dependeat a Deo, & ab ipſo creata ſit, fatebimur eſſe compoſitam ex materia, & forma: ideò Auicebron ait, quod omnis ſubſtantia præter Deum, eſt compoſita ex materia, & forma: quoniam oportet, quod in quocumque inueniuntur proprietates materiæ, inueniri materiam. Vnde cum in anima inueniãtur proprietates materiæ, quæ ſunt recipere, ſubijci, & eſſe impotentia, atque alia huiuſmodi, ergo neceſſariò in anima erit materia. Et quando dicunt, quod materia inuenitur tantum in quibus eſt potentia ad ubi, dico, quod uerum eſt de materia, quæ recipit cum tranſmutatione, & motu naturali. & quando dicunt, quod materia non inuenitur, niſi in rebus corporalibus: dico qđ uerum eſt materia in potentia ad eſſe, & non eſſe. ſed materia ad eſſe tantum reperitur in ſupranaturalibus. Vnde Themiſtius in hac parte bene dixit, quando affirmauit animam

materiam, intelligit, id eſt ipſa anima compoſita, concedo, & quando inferunt, ergo non intelligit ipſa vniuerſalia, negatur hoc: quia ſi eſſet indiuiduata per materiam materiatam, & non formatam; & ſi eſſet indiuiduum, & compoſitum ex materia non actuata, ſequeretur, quod intelligeret vniuerſalia, ſed ipſa eſt cópoſita, vt diximus, ex materia, quæ a forma actuata eſt, & vnitur cum ipſa. & ideò cum propter vnionē facta ſit ſimplex, intelligit vniuerſalia. & ſic verum eſt, quod inferunt, quod ſenſus vniuerſalia non cognoſcunt: quia vniuntur, & ſe extendunt in materiam materiatam, naturalem, ſenſibilem, & corruptibilem. Nec eſt ridiculum, nec implicat animam eſſe compoſitam, & informare, quia ſua compoſitio eſt vnica, & tota formalis, & actuata, & ideò benè poteſt informare. hoc eſſet certè ridiculum, ſi eſſet compoſitum naturali, & ſenſibili. Quantas, quæſo, poſtea authoritates habeo. Nonnè Auer. tertio, de Anima tex. 5. ait. Intellectus diuiditur in materiam, & formam, vt eſt ſenſibile; & omne intelligens habet duo his ſimilia, & abſtracta præter primum, quod nihil intelligit extra ſe, ſed eſſentia eius eſt quidditas eius. in alijs autem hæ duo diuerſa ſunt quodammodo. Idem 3. de Anima 14. potentia, receptio, & perfectio æquiuocè dicuntur in rebus naturalibus, & abſtractis. Idem eodem loco. intelligentiæ, cum habeant aliquid ſimile materiæ, perficiunt ſe adinuicem, ſecus non eſt in illis recipiens, & receptibile. Vnde illud, quod eſt liberatum ab hac natura, eſt primum intelligens. Idem in lib. de ſubſtantia orbis c. 7. omne cauſatum quando ipſum ſpeculatus fuerit intellectus, eſt de natura poſsibilis. Idem diſp. 3. Determinarunt Antiqui de Entibus abſtractis, quod ſunt ſimplicia, quod poſtea primum ſit ſimplicius illis, & ſecundum tertio. Vnde Auer. manifeſte vult, potentiam, poſsibilitatem, imperfectionem, & materiam eſſe in omnibus rebus præterquam in Deo, quem Deum appellat neceſſarium. Nam 2. cœli 33. & 34. & nono met. 17. & 12. met. 30. ait. in ente neceſſario nulla eſt poſsibi-

Auth. quæ ꝓbant oē compoſitum eſſe ex materia & forma præter deum.

Auer. 3. de aīa tex. 5.

Auer. 3. de anima 14.

Aue. eodē loco.

Au. lib. de ſubſtantia orb. c. 7.

Aue. diſp. 3.

Aue. 2. celi 33. & 34 & 9. met. 17. & 12. met. 30

Auer. 5. met. 6. poſsibilitas, ideſt. in Deo. Similiter 5. met. 6. ait. Neceſſarium in rei ueritate eſt ſimplex quod non componitur ex Algazel. materia,& forma, ideſt Deus. Quod confirmans Algazel in logica,& philoſophia ſua, dicit. Primus ſolus eſt neceſſarius, quicquid eſt pręter illum, eſt poſsibile: poſsibilitas autem eſt ſimilis materiæ,& neceſsitas formæ, hanc ergo Author de cauſis. habet a primo. Author verò de cauſis ait. intelligentia, Zimarra. anima, natura eſt habens Ylchachim, quoniam eſt eſſe,& forma. Prima autem cauſa non eſt habēs Ylchachim, quia eſt eſſe tantum. Quid Zimarra, qui uidit hanc ueritatem, ſed eam explicare neſciuit? dicit enim in cōm. 33. & 34. in ſol. contra Auer.& Ariſt. in æternis non eſt poſsibilitas ſecundum rem, ſed ſecundum rationem. quia non habent aliquid quod ſit capax formæ, ſed bene habet formam nō abſolutè perfectiſsimam. volens inferre, quod æterna habent materiam. & quia ſua materia non eſt capax formæ, cum tendat ad eſſe tantum,& ſatiata ſit, atque a forma ſuperabundata, quod in ipſis non eſt poſsibilitas, ſecundum rem, ideſt tendens ad eſſe,& non eſſe: ſed ſecundum ratio- Zimara in 3. de aia. nem, ideſt ſecundum quod conſideramus ipſam tendentem ad eſſe tantum. Idem in tertium de Anima in ſol. contra Auer.& Ariſt. ait. potentia realis dicitur phiſica. potentia intellectualis dicitur logica.& huiuſmodi aliquid habent omnes intelligentiæ præter primam, dixit enim logica, quoniam ſecundum intellectum abſtrahimus a materia ſuperiori potentiam ad non eſſe, & ponimus potentiā ad eſſe tantum; neſciuit autem alio modo explicare niſi hoc pacto. Quid Plotinus, & Marſilius Ficinus dixerunt Plat. & M.F. de hac materia in 4. ſecundæ En.? habent enim hęc verba. Pythagorici, & Peripateci materiam etiam in corporeis cogitarunt: ſicut enim formale aliquid,& diuinum eſt in corporib. ſic quodammodo materiale aliquid in incorporeis. Euſebius in lib. de quib. Theol. Amig. ait. omne ens Euſebius. poſt Deum materiam habet, hæc autem materia communis vocatur Anthohyle,& Pandoches,& Mænada,& hæc eſt potius non ens, quam ens. Macrobius primo de ſomno

no ſcipio.dicit. Potior pars hyle creditur eſſe potus deorum,& hac illorum natura ſuſtentatur. Sed quid plura? & ad quid per philoſophos extraneos vagari ſi habemus Ariſto.3.de Anima 17. qui ait.in omni natura ſunt quædam, quorum alterum eſt materia. eſt autem quod eſt cuncta potentia,alterum quod eſt efficiens;quod cõfirmat Alex. primo de Anima dicens,In omni re aliud quod materia, aliud quod agens. ergo etiam in anima neceſſe eſt, dicit Ariſto.hæc duo eſſe. Vnde ex his concludimus, materiam eſſe in omnibus entibus,præter Deum,& abſtracta, ut intelligentiæ,& animæ habent materiam,ut diximus, ſatiatam a ſua forma plus uel minus ſecundum diuerſitatem entium,& ſecundum maiorem, uel minorem a Deo omnium authore elõgationem, atque diſceſſum,uel caſum. & qa denominatio fit ſemper a ſuperabundanti, iõ dicuntur formæ ſimplices. Cum igitur anima ſit ens a Deo depẽdens,creatum immortale, in ipſo erit neceſſario materia, & forma, ut ſuperius diximus. Nam omne cauſatum eſt compoſitum,ut Auer.inquit in lib.deſt.deſtruct.in ſol.19. dubij,anima eſt cauſata a Deo,ergo compoſita.Et ſic in intelligentijs,& anima eſt potentia actuata non potentialis vel potentialiter, in alijs entibus, quæ aliquã mutationẽ patiuntur eſt potentia potentialiter: quia actum,quod poteſt habere,adhuc non habet. Ex vnione igitur materiæ, & formæ ſuperabundantis creatur anima, quæ per ſe non conſtituit ſpeciem,cum ſit ens incompletum.ſed quando aduenit, & vnitur corpori altero enti incompleto ex vtriſque,abſque neutrorum corruptione, conſtituitur ſpecies completa. & quamuis vtrumque per ſe habeat ſuam vnitatem: cum tamen ſint vnitates incomplete, ideò non eſt neceſſarium ponere tertium,quo vniatur anima corpori, cum immediate per vnionem cum corpore ſit ens completum,quod eſt homo. quæ anima eſt principium forma le eſſendi corporis,ut diximus, & forma corporis. & illa materia quam habet,abſorpta eſt a forma; & taliter actuata,quod ſi habet non ut recipiens,ſed vt quo aliquid,quia

Ar.3.de anima 17.

Alex.1.de anima.

H habet

habet aptitudinem ad eſſe tantum. Et ſic per hæc omnia rationes Sanct. Thomæ deſtructæ ſunt, & meritò: quoniã omne, quod eſt uel eſt abſolutum, uel contractum. Anima non eſt abſolutum, quia ſolus Deus eſt actus purus, ergo contractum, ergo non actus purus, ſi non actus purus, ergo compoſita ex materia, & forma.

Reiicitur S. Tho.

Alia rõ

Præterea omne quod indiuiduatur, ex materia indiuiduatur: ſed anima non indiuiduatur ex materia in qua eſt, ſcilicet corpore, quia perempto corpore ceſſaret eius indiuiduatio, ergo ex materia ex qua, ergo habet materiam partem ſui. Et quando Sanctus Thomas reſpondet dicens, quod non indiuiduatur per materiam, ex qua fit, ſed ſecundum habitudinem ad materiam, in qua eſt. ego interrogarem beatum Thomam; & dicerem, quis dat animæ illam habitudinem? non forma, cum indiuiduatio proueniat tantum a materia: non corpus, quia perempto corpore ceſſaret indiuiduatio, ergo illa ſua habitudo ad corpus, eſt ab illa particulari materia ipſius animæ: quæ materia ipſam animam indiuiduat: quæ materia cum ſit, a forma ſuperabundata actuatur. Vnde Sanctus Thomas, poſtquam reprobauit non dari materiam niſi in corporalibus, dicit hæc verba. Vnde materia non inuenitur, niſi in rebus corporalibus ſecundum quod philoſophi de materia ſunt locuti, niſi aliquis materiam ſumere uelit æquiuoce. & alibi dicit, non tamen excluditur, quin in anima ſit actus, & potentia. nam actus, & potentia non ſolum in rebus mobilibus, ſed etiam immutabilibus inueniuntur. concludens, quod cum anima ſit quædam forma per ſe ſubſiſtens, poteſt eſſe in ea compoſitio actus, & potentiæ, ideſt eſſe, & quod eſt, non autem compoſitio materiæ, & formæ. Semper Latini cum innouatione nominum, & vocabulorum rem in confuſo poſuerunt, ut alterius opinionem infringere poſſent cum his ſuis æquiuocationibus. Quare, quæſo, dicitur potentia? quia non eſt in potentia ad vtrunque, ſed ad eſſe tantum; ſed materia capit utrunque eſſe, & non eſſe? Quare actus? niſi quia non eſt forma

Obiectio S. Thomæ

Reſponſio

educta

educta de materia, ſed forma actuans potentiam. Vnde propter hoc non ſequitur, quod non ſit ex materia; & forma, immò ex materia cum aptitudine ad eſſe, & forma abſorbente ipſam materiam componitur anima, quæ dicitur compoſita reſpectu materiæ, & formę. & dicitur ſimplex reſpectu ſuperabundantiæ formæ actuantis totam materiam, ita quod ſatiat ipſam, quod ad eſſe non poteſt tendere, ſed ad eſſe tantum ſequens formam. Quid eſt Beate doctor caſus à Deo? Quæ nam eſt a primo omnium authore elongatio? quis à primo opifice diſceſſus? & quænã denique rerum imperfectio? Nonnè hæc omnia ſunt prædicata ipſius materiæ, non ne hæc omnia competunt omnibus entibus præter primum? ergo anima ex materia, & forma compoſita ex neceſsitate erit, uti diximus. Præterea, cum non poſsit dari præciſio rei, niſi in actu ſimplicisſimo, qui eſt Deus, & cum omnia poſt Deum ſint in alteritate poſita, & diuerſa, quamuis minima ſint; ideo cum etiam corpora diuerſa ſunt, & in alteritate quadam poſita debent creari à Deo animæ ſuis corporibus correſpondentes, ita quod vnaquæque anima proprio corpori correſpondeat. ſi ergo proprio corpori correſpondere debent, oportet, quod ſint diuerſæ, cum corpora iam diuerſa ſint, ut diximus. quæ diuerſitas prouenit ab hac, & illa materia indiuiduans formam; ita quod anima Socratis eſt indiuiduata ſua propria materia, & anima Platonis ſua etiã propria materia. Vnde animæ non differunt ratione formæ, ſed ratione ſuæ propriæ materiæ. quæ materia, quia actuata eſt a forma, & non eſt in potentia ad non eſſe, ut diximus, uocata fuit a Sanct. Thoma potius potentia, quàm actus, & materia æquiuocè, a Theologis pariſienſibus gradus intrinſecus animæ. Nam dicunt, quod animæ diuerſis quibuſdam gradibus ab opifice inter ſe diſtinctæ ſunt, non ſolum accidentalibus, ſed gradibus quibuſdam intrinſecis in eſſentia ipſarum radicatis; quibus vnaquæque anima differat ab alia, per illud, quod eſt ipſi proprium. ſed cum per ipſos Theo-

Alia ratio contra S. Tho.

Alia rõ

H 2 logos

logos non ſit gradus accidentalis, ergo ſubſtantialis. ſi ſubſtantialis, ergo a forma, vel a materia prouenit. non à forma, quoniam omnes conueniunt in forma, ergo neceſſario a materia, ergo talis gradus erit a materia. ſed dixerũt gradum intrinſecum ipſius animæ, quia pars illa materiæ graduata eſt, ideſt formata. qui gradus etiam ab Algazele in logica tract. 5. appellatus fuit aptitudo. Nam dicit loquens de potentia materiæ naturalis. Potentia eſt ad eſſe, & non eſſe, aptitudo ad eſſe tantum. quæ aptitudo nihil aliud eſt, niſi deſcenſus animę, & elongatio a primo actu, per quem multiplicantur, & indiuiduantur animæ, ſcilicet materia facta in actu. quæ materia, cum actuata ſit indiuiduans animam, tendit ad eſſe tantum. ideo Auerr. ad hoc propoſitum loquens. 8. met. 12. ait. Materia reuera, cuius eſſe eſt in potentia, non inuenitur niſi in ſubſtantijs corruptibilibus: ſubſtantiæ uerò æternæ, quia in eis non eſt potentia ad corruptionem non habent materiam, ſed materia eorũ eſt aliquid in actu, ſcilicet corpus. ideo melius dicetur ſubiectum quàm materia. Volens inferre, quod tanta eſt ſuperabundantia formæ, quod materia illa abſorbetur ab illa forma, & fit in actu, & dicitur potius

Boet. vnum. Vnde Boetius dicebat, quod in Angelis, & animabus vnitas eſt ex materia, & forma: quoniam in corporeis

Plot. forma fit ſemper materialis, & in incorporeis materia fit formalis. & Plot. dicit. Alia eſt materia in ſuperioribus, quam adeo abſorbet actus, ut non dici debet compoſitũ. Volens inferre, quod quamuis eſt materia reuera in ſuperioribus: quoniam non tendit ad non eſſe, ſed ad eſſe tantum, & quod perfectionatur a forma, cum ſit ſuperabundata ab ipſa, & denominatio debeat fieri a ſuperabundanti, non debet dici compoſitum, ſed forma. Et quamuis anima conſtet, ut diximus, ex materia, & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus, non propter hoc inferendum eſt cum Ianduno, quod in anima reperiatur intellectus poſſibilis, tanquam ſubiectum in potentia pure ſimile materiæ, & intellectum in actu perficiens intellectum potẽtiæ

ſimile

ſimile formæ. & quod vterque ſint eſſentialiter diſtincti, & tanquam partes eſſentiales diſtinctæ realiter. quoniam quod eſt in materialibus eſſentiale, diſtinctum realiter, in immaterialibus eſt unitum eſſentialiter, & illa materia, quæ in materialibus ſit diuiſibilis, in immaterialibus ſit indiuiſibilis & illa materia, & forma, quæ ſimul in materialibus faciunt compoſitionem, in immaterialibus faciunt ſimplicitatem; ita quod materia illa ex qua componitur anima ut toties diximus eſt ab ipſa forma actuata, & eſt eiuſdem eſſentiæ, & non diſtinguitur eſſentialiter ab ipſa, niſi per accidens in eo quod per ipſam materiam, anima Socratis differt ab anima Platonis. quoniam anima Socratis habet ſuam materiam, per quam indiuiduatur formatam uno modo, & anima Platonis alio modo; ita quod quælibet differt per propriam materiam formatam diuerſo modo. quę anima eſt ſimplex ratione ſuperabundantiæ formæ actuantis materiam; & compoſita ratione materiæ, & formæ, quam habet in ſe. Vnde ratione materiæ dicitur poſsibilis, & ratione formæ agens; & ſic in anima tanquam in natura quadam, ſunt iſtæ duæ partes eſſentiales, ſcilicet agens, & patiens; ſed non diſtinctæ, nec per ſe ſubſiſtentes, ſed eſſentialiter vnitæ. & dicuntur partes animæ, quoniam eſſentialiter componunt animam, cum re uera ipſa anima habeat materiam, & formam, ut declarauimus. ſed quia materia illa eſt formata, & actuata: ideo non ſunt partes diſtinctæ, nec per ſe ſubſiſtentes; & dicuntur virtutes, & potentiæ ratione operationis. Et quando ſuperius diximus, quod potentiæ ipſius animæ ſunt proprietates inſequentes eſſentiam rei, & non partes: tunc loquuti fuimus de partibus uirtualibus, & non eſſentialib. ut in propoſito. quæ differunt inter ſe. nam illæ, quæ ſunt uirtuales, habent reſpectum ad totum compoſitum ipſius animæ; & iſtæ eſſentiales ad partes. nam agēs eſt reſpectu formæ, & patiens reſpectu materiæ. quæ differentia intelligitur ſemper formaliter, non cauſaliter. Vnde ex his omnibus ſupradictis, rationibus, atque authoritatibus com-

probatis, concludimus omnes animas eſſe propriis materiis indiuiduatas, & numeratas; & ideò ad numerum indiuiduorum plurificantur. & certè, quod ſi uolumus inſpicere naturam ipſius animæ, neceſſe erat in ipſa ponere materiam: quoniam cum ſit media, debebat ſenſibilia, & intelligibilia contemplari. quod facere non poterat, ratione formæ tantum, cum pura forma ſit inuariabilis, & actu ſemper eadem; ideo indiguit materia, ſicut etiam intelligentiæ, quia a ſeipſis perfici non poterant. ideò ut intelligerent Deum, & ad primam cauſam haberent intuitum, tanquam ad ſuam ultimam perfectionem, neceſſario etiã ipſæ indiguerunt materia: quæ materia eſt appetitus ille, & motus ſpiritualis, quo intelligentiæ circa Deum, tanquam circa centrum ſuum ita mouentur, ut immobiles appareant. Sic igitur animæ datur materia, quæ materia, quoniam immergitur, vt toties diximus, formæ, & illi obſequitur, & conditiones eius ſuſcipit: ideo dicitur forma immaterialis, qm̃ prædominatur forma materiæ, actus potẽtiæ, pfectio imperfectioni, immutabilitas mutabilitati, habitus priuationi, vnitas multitudini, virtus magnitudini, & cœteris huiuſmodi formæ conditiones præualent materiæ, ſicut contrario modo ſe habent in naturalibus. Quomodo igitur plurificentur animę, & vnaquæque ab alia differat, per ea, quæ diximus, quiſque iam niſi ſit ingenio obtuſus, & intellectu obſcuratus, facile videre poteſt, atque perfectè comprehendere. Quamuis diuerſi diuerſimode loquuti ſint. Nam aliqui dixerunt, de Proclus, animas differre non per corpora, non per inclinationes ad corpora, ſed per accommodationes factas a Deo, ducibus ſtellis. Marſilius Ficinus dicit differre, & numerari per quoſdam modos intrinſecos. Plato, & pythagorici numerationem indiuiduorum omnium nõ extimãt ſolum partitioni materiæ. Alij Platonici dixerunt, Rationales animas differre ſuis eſſentijs, & non indiuidualiter: quoniam per ſeipſas. A \ ij, ut S. Thomas, animas hominũ differre per habitudines ad corpus. Alij per cogitatiuam, vt

Opiniones philoſophorum de plurificabilitate aiarum, & differẽtis. Proclus. M.F. Plato, & pitagorici Platonici aliqui. S. Tho. Auerroes.

vt Auer. Alij per hecheitatem, vt Scotus, alij per intelle-ctum paſsiuum, vt Ariſt. Et alij per intellectum patibilẽ, vel communem, vt Themiſtius. Quas differentias proprias hominum quidam poſuerunt immortales, vt S. Thomas, Scotus, Ariſto. atque Platonici, cœteri verò mortales. Dicitur enim a S. Thoma habitudo, quoniam vult, quod vnaquęque anima creetur cum propria habitudine ad hoc corpus, & non ad aliud, Ab Auer. dicitur cogitatiua ad differentiam intellectus, quoniam iſte vniuerſaliter diſcurrit, & illa particulariter. dicitur ab Ariſt. intellectus paſsiuus, quoniam ratione materiæ patitur paſsione perfectiua, non corruptiua. & eſt quando intellectus poſsibilis cadens ab intellectione vniuerſali intelligit, & diſcurrit particulariter. & quoniam iſti caſus venit a materia, & non a forma: ideò dicitur propria animæ indiuiduatio, quoniam omnes homines quamuis cogitant, non tamen eodem modo propter diuerſimodam animarum indiuiduationem. & ſicut talis intellectio, & cogitatio in corpore eſt particularis, extra corpus fit uniuerſalis, ideò dicitur corrumpi formaliter, non autem cauſaliter, quia remanet intellectus paſsiuus poſt mortem, ſed non vt cogitans particularia, & memorans, ſed vt vniuerſalia intelligens, vnde anima demerſa in corpore particulariter diſcurrit ratione partis paſsiuæ, non autem actiuæ, quoniã ſolus poſsibilis ad phantaſmata vergit, & per conſequẽs poteſt particularia cogitando diſcurrere, nõ autem agens cum a phantaſmatibus ſit ſeparatus ſemper vt in tertio de anima demonſtrauimus. Per eandem rationem ab alijs intellectus patibilis appellatur. Dicitur communis reſpectu materiæ quæ ipſam animam indiuiduat, quæ communis eſt cum inferioribus, & ſuperioribus. a Scoto verò dicitur Hæcheitas multo ſubtilius, quoniã hoc nomen compoſitum eſt ex duobus, & omne quod componitur, ex materia, & forma componitur, ideò prima pars compoſitionis, quæ eſt (*Hęc*) ſignificabit quoddã materiale, & ſignotum, ſecunda verò pars quæ eſt (*heitas*. ſignificabit quan-

Scotus. Ariſt. Themiſt.

dam formam, volens dicere quod differũt animæ per hæcheitatem ideſt per materiam formatam, ſcilicet per materias ſuperabundatas ab ipſa propria forma, & per materiā factam formam. Vnde vt explicatius loquamur dicemus Plurificari animas, & vnamquamque ab alia differre per proprias aptitudines, quæ aptitudo ut, diximus, eſt illa materia quæ eſt in potentia ad eſſe tantum à ſua forma actuata, ac formata. Non ergo per diuerſam habitudinem ad corpus, ſed ſeipſis prorſus differũt numero intrinſece per propriam aptitudinem, & quod talis differentia ſit intrinſeca ſine aliquo reſpectu rationi conſonum eſt, quia anima eſt Ens per ſe ſubſiſtens, & creatura Deo cum corpori infunditur, vnde non creatur ratione corporis ergo cũ non ſit ratione corporis ergo non habet habitudinem ad corpus, quamuis creetur tali corpori correſpondens. Amplius nihil accipit a corpore, ergo non habet habitudinē ad ipſum. Præterea ſi habet habetudinem ad materiam, & per hanc indiuiduatur ergo habet habitudinem ad illam materiam, quæ in Embrione introducitur. ſed talis ſucceſſu temporis deperditur. ergo per illam non indiuiduatur quia non eſſet eadem numero anima. Amplius Nonnè anima eſt indiuidua ex ſe, & creatur indiuidua? ergo non per habitudinem ad corpus indiuiduatur, ſed per propriā aptitudinem, quam a materia recipit a ſua forma actuata indiuiduabitur ipſa anima. Taceant igitur Thomiſtæ prædictam opinionem defendentes cum ex ſeipſa anima indiuiduetur. Et etiam damnentur Alexander Rodius, Theophilus, Varro Romanus, & alij Antiquiſsimi philoſophi, qui crediderunt totius mundi, & cuiuslibet partis mundi vnam tantum eſſe animā. ſ. Deum dicentes quod ſicut in homine paruo mundo ſunt diuerſæ partes diſtinctæ, & tamen omnes habent vnam formam totalem ſ. hominis animam, a qua informantur vltimo, ſic omnes mundi partes ſunt diſtinctæ, & vltimo a Deo informantur, tanquàm ab vniuerſali, & Prima anima. Taceant etiam Parmenides, Meliſus. Empedocles, Lucretius qui poſuerunt

Reiiciũtur Thomiſt.

Ale. Rod. Theoph. Varro Rom.

Parmenides. Meliſſus.

vnum

Vnum eſſe tantum omnium principium, ac omnia eſſe Vnum, & denique non loquantur Amplius xenophanes, Orphæus, Apuleius, Virgilius, Lucanus, Seneca, & alij qui dixerunt vnam eſſe animam omnium rerum, ſcilicet Deum, & hoc eſſe principium, & pro hoc omnia eſſe vnũ. Nec valet dicere vnum eſt agens, ergo omnia vnum, quoniam ipſo poſito, cœtera ponuntur, ipſo remoto, cœtera tolluntur, nec dicere omnia ſunt vnum in fine ergo vnũ, quoniam quamuis omnia ſint vnum agens abſolute, tamen ſunt plura contracte, & vnaquæque res per propriam contractionem differt ab alia & ſimiliter omnia ſunt vnũ in fine ratione abſolutionis, & non contractionis, cũ vnaquæque res proprium finem habeat ſecundum cõtractionem ſuam, quæ res ita contractæ in fine poſtea abſoluto ſunt vnum. Et quando dicũt quod tria ſunt maximè diuerſa, Deus in ordine æternorũ, hyle in ordine corporeorũ, & & mens in ordine ſpiritualium, & quod hæc vnum ſunt, & per conſequens omnia intermedia vnum erũt, & quod vnum ſunt probant, quoniam mens intelligit tum hyle, tũ Deum non per ſimilitudines, ſed per identitatem, ergo mens, Deus, & hyle unum. Dico quod mens non intelligit Deum per identitatem deificam, nec hyle per identitatem, nec etiam per ſimilitudines, ſed per identitatem mentalem, quæ identitas cum ſit cadens a Deo non eſt una, ſed plura, & ſic ruit argumentum. Et ſi dicent impoſsibile eſſe plura prima, ſed Deus primus æternorum, mens prima ſpiritualium, hyle corporeorum. Ad hoc reſpondent peripatetici non eſſe impoſsibile plura prima eſſe cum non ſint eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſarum rationum, ac ordinũ, immò eſſe neceſſarium. Vnde pro reſolutione iſtius opinionis quod Deus ſit anima omnium, dico quod Deus dicitur eſſe omnia abſolutè, & quæ ſunt poſt ipſum ſunt Deus contracte, & ſic omnia ſunt unum abſolute, non autem contracte, quoniam unitas ſimplicisſima contrahitur ad omnes partes mundi, quæ partes omnes per abſolutionem in ipſo uniuntur, & ſic omnes partes mundi ſunt plura,

Emped. Lucr. Xenoph. Orphæus. Apuleius. Virgilius Lucanus. Seneca Obiectio Reſponſio

Obiectio

Reſponſio

Obiectio Reſponſio

Reſolut

plura,& non ſunt unum,neque Deus niſi contracte, & finite, & omnes animæ ſunt plures, & non eſt una tantum anima,ſcilicet Deus abſolute,ſed finite,& contracte. Reijciantur ergo Bians, & alij,qui dixerunt rationalem hominis animam motricem ſubſtantiam, deumque incarceratum. Item qui dixerunt eſſe Deum incarnatum, & deniq; damnentur Siphanius, Priſcilianus, & alij,qui rationales animas ex naturis intelligẽtiarum dicunt ex propria Dei ſubſtantia effluxiſſe, hic eſt error Gnoſticorum, & Manicheorum, cuius hęreſis author fuit teſtante Ireneo libro primo aduerſus hæreſes cap.24. Corpocrates. Neſciuerunt iſti diſtinguere finitum, ab infinito, & contractum ab abſoluto, quoniam cum Deus ſit ſumme ſimplex, non poteſt eſſe componibilis, nec poteſt eſſe perfectio corporis, nec forma corporis, cum ſit per ſe, & abſolutum ens, & cum ſit ſumme perfectum non poteſt eſſe pars compoſiti, nec alicuius, & cum ſit ſolus immobilis nõ poteſt eſſe terminus generationis, nec forma rerum, ac totius mundi, & cum ſit ſumme intelligibilis ſi uniretur cuilibet ſecundum eſſentiam corpora pure naturalia intelligerent, & ſic quodlibet corpus ſimplex eſſet animatum, quod refellit Ariſto. in ſecundo de Anima.

Bians.

Siphanius Priſilianus Error Gnoſticorum & Manicheorum.

Præterea cum ſit pura eſſentia, ac vniuerſalis, nõ poteſt recipi in materia. item omnis actus corporis eſt virtus in corpore, Deus non eſt uirtus in corpore, ut Ariſtote. probat in fine 8. ac in 12. met. & ſic omnino damnãda eſt opinio iſtorum, niſi dicamus, ut diximus, quod Deus eſt forma corporis, perfectio corporis, pars compoſiti, uirtus in corpore, & quicquid eſt in mundo, & quodcunque uidetur, ſed eminenter, uirtualiter, abſolute, infinite, cauſaliter, & modo perfectiſsimo atque incomprehenſibili, & omnia, uel ſit corpus, uel anima, uel pars corporis, uel accidens, uel operatio, uel aliquid aliud ſunt Deus imperfectè, participatiuè, finitè, contractè, & ignobiliori modo, & tandem omnia mundana ſunt Deus modo mundano, & Deus eſt omnia mundi modo Deifico, & omnes animæ

ſunt

ſunt vna anima.quæ per ipſos antiquos Deus eſt, ſed modo animali, & Deus eſt omnis anima modo deifico, & p hãc diſtinctionem ueridicam,philoſophicã,atque Theologicam omnes quæſtiones de Deo quiſque poterit facillime reſoluere,& authores concordare. ſed cum hęc ſint alterius conſiderationis, hæc ſufficiant pro completa reprobatione, & dilucidatione opinionis ſupradictæ, ad alias tranſeamus Cum ergo probatũ ſit non eſſe unam animam omnium rerum uniuerſalem,ut ſupradicti poſuerũt videndum eſt utrum ſit vna anima tantum animarum rationalium, uel plures,& ſi plures, uel ſpecie,uel numero differentes. Magi enim opinantur,quod humanæ mentes ad numerum hominum numerentur, ita ut ſpecie inuicẽ diſtinguantur, quas animas poſuerunt ſeparatas ſecundũ eſſe a corporibus,& ipſis corporibus non inexiſtẽtes, nec inhærentes,ſed aſsiſtentes,& adhærentes dixerunt,& quoniam in ſeparatis dicunt a materia nõ poſſunt eſſe plures formæ ſub una ſpecie, erunt ergo ipſę tot animæ rõnales ſpecies, quot hoĩes. Quæ opinio reijcit qm̃ hoĩes rõnales q̃uis,ſint eiuſdem ſpeciei quoad propriã operationẽ animæ quæ eſt intelligere,tamen quoad modum intelligendi differunt, quæ differentia non eſt ſpecifica vt dixi,cum ſint eiuſdem ſpeciei,ſed numeralis.quoniam quot homines tot modi intelligendi.qui modi proueniunt a diuerſitate animarum numerali,non autem ſpecifica. Et quamuis in complexione,ætate,ſenſu, loco, conſtellatione, & cœteris huiuſmodi differunt, quod a motoribus diuerſis ſpecie moueantur,quoniam hæc differentia non eſt ſpecifica,ſed accidentalis. Præterea Themiſt.cap. 32.ait. Si dentur iſtæ plures animæ ſeparatæ ſpecie differentes hominibus tantum aſsiſtentes vel ſunt neceſſariæ pro eſſe hominum,aut propter ſcire diuerſum,probat quod nullo modo,ſed quod ad eas ſufficit vna forma vnius ſpeciei,& rationis.ergo non oportet ponere intellectus rationales tot quot ſunt homines ſpecie differentes. Et ſi dicerent quod ſunt neceſſariæ, propter intelligere,& quia diſpoſi tiones

Reiicitur

Obiectio

Reſponſio

The. arg. contra prædictam opinionẽ.

Obiectio.

tiones accidentales totales horum hominum differunt ſpecie, ideò egent diuerſis motoribus ſeparatis. ſi hoc eſſet verum ergo erunt motores rerum accidentalium, & non eſſentialium, quod eſt abſurdum, dare motores ſpecie differentes propter res accidentales. Et ideò ſequens Themiſt. dicit. Talis poſito nec eſt ſenſata, nec ex ſenſib. concluſa, ergo nuga, & fabuloſa. Quoniam ſi partes corporis cœleſtis differunt tanta differentia, quanta partes ſpheræ humanæ, & pro omnibus partibus totius ſpheræ cœleſtis ſufficit vna ſola forma, quæ eſt motor totius, quare pro omnibus hominibus vna ſola non ſufficiet? Nonnè ſi rationales animæ differunt ſpecie, erũt eſſentialiter ordinate ad unum intellectum perfetiſsimum, penes cuius exceſſum, vel receſſum reliqui menſurentur? ſed quales erit iſte cum nullus homo inueniatur huius naturæ, & omnes ſint æqualis perfectionis eſſentialis.

Aliud ar. The. Aliud ar.

Præterea ſi intellectus eſſent diuerſi ſecundum ſpeciem in diuerſis hominibus in natura eſſet aliquid ocioſum, quoniam omnes homines poſſunt intelligere ſecundum vnum numero intellectum cum ſint vnius rationis. Omnia phantaſmata vnius ſpeciei, & omnes cogitationes, ergo omnes reſidui ſuperfluunt, & dicere, quod homines eſſentialiter ſunt eiuſdem ſpeciei, & accidentaliter differunt ſpecie, eſt ponere in homine accidentia extrinſeca, quæ a ſua eſſentia non proueniant quod eſt abſurdum cũ omne accidens, uel ſeparabile, uel inſeparabile a propria ſubſtantia fluat, & in propria ſubſtantia fundetur. Etiam ſi plures animæ ſpecie differentes eſſent, cum uidimus una die centum millia e uita decedere remanerent ſine corpore ocioſæ, cum credibile ſit eo die tot alibi oriri. Et ſi dicunt, quod intellectus ſint ocioſi a poſtrema operatione, non tamen a prima, & hoc non inconuenire apud hos, dico quod ſi nõ inconuenit apud illos, quod benè eſt inconueniens apud veros philoſophos, ideo qui deſtruunt principia philoſophiæ debent refelli, cum dato vno inconuenienti plura ſequi neceſſarium ſit. Vnde cum hæc opinio

Aliud ar. Reſponſio obiecti. Abſurdũ.

ſit,

ſit,& contra rationem, & contra ueros philoſophos ratio nibus iam dictis ipſam reprobamus. Fuerunt alij qui dixerunt plures eſſe animas,& plures intellectus informantes & animantes, quas animas eſſe æternas, tam a parte ante, quam a parte poſt, & tot numero quot indiuidua ſunt in præſenti inſtanti quæ cum finita ſint,& illę finitæ, & dicūt vnam eſſe in vno corpore, eamque exire a corpore alterū, atque alterum uiuificare, generatio enim unius hominis eſt alterius corruptio,ut fingunt, quæ enim terminus generationis Socratis,ipſa eſt principium non eſſe Platonis, & quia contingit infinitos homines genitos fuiſſe, ac infinitos corruptos, ideò contingit vnam rationalem animam infinities corpora infinita viuificaſſe,eaq́; extinguiſſe ſui abſentia,& has animas eſſe plenas ſcientijs, ac habitibus,non ut Plato, quia Deus creando ipſas ab ipſo accepiſſent,ſed quia infinities ſteterunt,& exiuerunt, ideò infinitos habere habitus,vel tot quot haberi poſſunt. Si enim vera eſſet hæc opinio, Petrus eſſet per eſſe Franciſci,& Frāciſcus per eſſe Petri,& ſic homo eſſet ens antequam eſſet, & ſic non generabilis,& corruptibilis in eo, quod homo, ſed ſi fuerit,erit in eo quod animal.

Alia opinio de aīabus & de numero ipſarum.

Reiicitur. Prima 16.

Præterea contingeret,quod una eſſet numero ſcientia mea quæ fuit ſua, & denique non plus differet Socrates a Platone,quàm Socrates ſenex a ſeipſo puero. & quid impoſsibilius, ac deriſibilius? ideò dimiſsis his magis ad alias opiniones maioris conſiderationis deueniamus.

Secunda Tertia.

Alij dixerunt quod intellectus materialis eſt forma perpetua,ex vtroque latere incorruptibilis vna numero omnibus hominibus informans materiam per cogitatiuam, & quod per hunc intellectum informantem hanc cogitatiuam vltimatè homo,& homo, & ſumitur differentia hominis,cum non poſsit cogitatiua abſque tali intellectu informare. Contra quos arguit Albe.dicens. ſi eſſet unus numero intellectus, & ſubſtantialis forma hominis contingeret, quod plures homines unam in numero haberēt formam hominis, & non unam animalitatem, quoniam homo

Alia opi.

Reiicitur ab Alb. Prima 16.

homo eſt animal ex ſenſitiua, homo ex intellectu,& ſic cō tingeret quod natura generis indiuiduaretur, & differentia ſpecifica maneret vniuerſalis non indiuiduata, & ſic vnum indiuiduatum eſſet compoſitum ex indiuiduato ſecundum eſſe,& non indiuiduato,quod eſt abſurdum. quoniam ſi intellectus conſtituit hominem in eſſe hoc vltimo, eſſet homo antequam generaretur, ſicut ait Auer.3. de Anima in digreſsione magna, & etiam omnes homines eſſent unus homo.

Alia rō Præterea omnis cauſa formalis alicuius compoſiti intrinſeca, & conſtituens id in eſſe, eſt cum generatione illius, ut ait Auer.12.met. cōm. 16. ſed intellectus non eſt cum generatione indiuidui hominis, ergo non eſt forma cōſtituens id in eſſe hoc ultimo, quæ propoſitio Auer. eſt vera, & in formis materialibus, & immaterialibus. quoniam etiam anima,quia dat eſſe corpori ſtatim creatur,ut videbimus,cum generatione corporis,quæ anima cum ſit ens incompletum poteſt eſſe actus vltimus alicuius rei corruptibilis,æternum benè ſimpliciter, & ens completū in ſubſtantia, & in quolibet ſui non poteſt eſſe actus vltimus alicuius rei corruptibilis, ſicut ait Auer.primo met. 35.& 31. & 3.met.cōm.9. Deinde in generatione ſubſtan

Alia rō tiali huius omnis,uel intellectus,uel cogitatiua,uel utrūque erit terminus generationis talis formalis, ſi intellectus,ergo continetur in materia, ergo deducetur de potētia materiæ. ſi cogitatiua, ergo eſſe ſpecificum erit ab ea, & ſic intellectus adueniens erit accidentalis, ſi vtrunque, ergo fiet vnus terminus formalis generationis hominis, ergo & ꝑ conſequens fiet una forma per ſe quod eſt cōtra

Alia rō ſuam opinionem. Quomodo quæ intellectus potentiæ, qui eſt uniuerſale quid per eſſentiam poteſt recipi in ali-

Alia rō quo ſubiecto,nec particulari, nec vniuerſali? Et cum ſit unus numero ſimpliciter poteſt perficere, & uti pluribus mobilibus numero? Præterea Auer. in primo de ſub-

Alia. ſtantia orbis ait,quod omnis forma indiuiſibilis æterna conſtituit ſuum ſubiectum in eſſe æterno,quæ propoſitio

uera

vera eſt de formis completis æternis, ſed iſti ſic tenent intellectum eſſe formam æternam completam, quo ſtante, ergo ſi intellectus recipitur realiter in cogitatiua, ergo cogitatiua æterna, ac ſemper copulata intellectui. Deinde ſi cogitatiua recipit realiter intellectum, ergo poteſt comprehendere ipſum, ergo forma materialis apprehendit abſtractum contra Auer. 2. de Anima com. 63. & in 3. de Anima com. 33. Et ſi cogitatiua, uel compoſitum ex materia, & cogitatiua recipit realiter intellectum, ac formaliter. tunc ens in actu reciperet formam ſubſtantialem, & ſi vna forma ſpecifica perfecta poteſt recipere alteram in eſſe tunc elementa non deberent frangi in mixto in ſubiectis, ut deducit Auer. 3. cœli com. 67. quoniam diceremus plures formas recipi ab inuicem non eſſe remotum, quod eſt contra philoſophos. quoniam omne recipiens debet eſſe denudatum a materia recepti tam in receptione reali quã ſpirituali, ut dicit Auer. ſecundo de Anima com. 67. ergo materia non recipit intellectum per cogitatiuam, tanquam per rationem recipiendi receptiuã. Vnde dicemus, quod intellectus poſitus ab iſtis nõ eſt forma cogitatiuarũ hominum, quoniã ſi ſic eſſet, tunc poſſemus tenere omnia corpora mundi differre proprijs differentijs partialib. & conſtitui ab vno intellectu numero vniuerſali, qui eſt Deus. & ſic eſſet error illorum qui dixerunt quod Deus eſt anima omnium rerum, quam opinionem ſuperius reiecimus. Si enim cogitatiua iſtarum ab intellectu informata dat eſſe homini, vel ſpecificum, vel genericum, ſi ſpecificum, ergo homo reponitur in ſpecie per cogitatiuã ergo intellectus ſuperfluit, vel ponetur in vna, & eadem ſpecie per duas formas diuerſas pluſquàm cœlum differat a terra, quod eſt deriſibile. ſi Generica contradicunt ſibi. Præterea ſi intellectus conſtituit hominem in eſſe vel eſt totus in toto homine, vel totus in toto, & pars in parte. Non ſecundum, quoniam tunc intellectus eſſet forma diuiſibilis extenſa per corpus, quod non concedunt. ſi primum ergo per intelligeret, quoniam in pede eſt cogitatiua

Alia rõ

Alia rõ

Inconueniens.

Alia rõ

Alia rõ

Alia rõ gitatiua, cui ineſt intellectus. Item ſi intellectus inhæ ret cogitatiuæ, vel homini formaliter tunc intellectus eſt numeratus ad numerationem hominum, quoniam diuiſio formæ numeralis eſt propter materias, & ſic eſt hic, & demonſtratus, & ſi eſt hic, & demonſtratus, tunc omne receptum in eo eſſet forma in potentia, & ſic proceſſus in

Ignorãtia pdictorum infinitum. Si tales conſideraſſent naturam ipſius animę non dixiſſent intellectum informare cogitatiuam, & cogitatiuam materiam cum anima de ſe abſque aliqua potentia per eſſe ſuum poſsit informare totum corpus, vt demõſtrauimus, & ab ipſo ille ſe ſeparari, & ſi compoſitionem animę cognouiſſent, non vnam numero poſuiſſent, ſed ad numerum indiuiduorum plurificabilem, ac diuiſibilem non ratione obiectorum, uel corporum, ſed ratione propriæ materiæ ab initio creationis ſuæ formatæ, q̃ eſt principium ſuæ indiuiduationis, & per quam ſumitur differentia numeralis vniuſcuiusque animæ.

Alia opi. Alij dixerunt, quod Rationalis anima eſt compoſita ex intellectu in potẽtia, & forma quadam ſimplici, quæ actu eſt vegetatiua, ſenſitiua, ac Rationalis, & forma hominis ſecundum eſſe præcedens intellectum, & hanc formam appellauerunt cogitatiuam, ideſt quandam formam præſtantiorem ſenſitiua, quę cum ſit corruptibilis, ſecundum iſtos, dixerunt, quod ſecundum numerum hominum multiplicatur. intellectum uerò dixerunt eſſe unum, & quod quando generatur homo, ſtatim accipit talem intellectum, tanquam partem animæ. & quando corrumpitur perdit animam, licet intellectus remaneat. & ſic vnam eſſe animam dixerunt ratione intelle us, plures ra-

Reiicitur. tione cogitatiuæ. hęc opinio certè eſt ualde abſurda, & potius videtur imaginaria, quàm conſonans in aliqua parte veritati. Quoniam, quando ex aliquibus fit vnum per ſe, oportet, vt alterum ſit per ſe actus, alterum per ſe potentia. Si intellectus eſt per ſe potentia, & ſenſitiua præcedens actus per ſe, ergo ſenſitiua, quæ per iſtos eſt corruptibilis, erit perfectior potentia, & intellectu,

lectu, & magis ens, quod eſt contra philoſophiam, cum intellectus diuinum ſit quoddam. & etiam ſi ſenſitiua eſſet actus, potius intellectus traheretur in ſpecie per ſenſitiuam quàm econtra, quoniam vltima differentia ſumitur ab actu. Alia rõ

Præterea una forma eſſet forma duorum ſubiectorum primo, & per ſe. quoniam ſenſitiua eſſet forma ſubiecti humani, & intellectus, quæ ſunt duo genere diuerſa. hoc autem impoſsibile, unam formam habere plus uno ſubiecto, ut Auerr. inquit in libro de ſubſt.orb. Et ſi dicunt, quod intellectus eſt tanquam forma, & per ſe forma formarum, & tota forma præcedens tanquam materia, immo per ſe materia intellectus: Tunc ſequitur, quod illa forma prior erit æterna: ergo ſi æterna, & ſimpliciter incorruptibilis, ergo conſtituit potentiam in eſſe æterno, & ſimpliciter incorruptibili. ſed hoc eſt falſum, quoniam æternum in eſſentia bene poteſt recipere nouum, ut materia, quoniam eſt potentiale, ſed nõ uniri per ſe generabili potentię. Alia rõ Obiectio. Inconueniens. Reiicitur.

Item ſi intellectus eſt unus numero ſimpliciter & incorruptibilis, omnes animæ erunt una numero, & incorruptibiles. & ſic totus homo incorruptibilis: quoniam diuerſitas naturæ recepti facit diuerſitatem naturæ recipientis. ergo recipientia intellectum erunt unum numero ſimpliciter, & incorruptibilia. Etiam ſi intellectus non eſſet niſi vnus, ſecundum rationem: tunc eſſet actu extra animam ens vniuerſale in potentia, & ſic indiuiduum demonſtratum; & ſic corpus, vel virtus in corpore, & ſic generabilis, & corruptibilis. & eſſet hic, quoniam omne receptum in ſubiecto demonſtrato recipit ens, & formam demonſtratam, cum ſenſitiua ſit forma demonſtrata. ergo erit intellectus uirtus hæc demonſtrata; & ſic idem, quod prius. & hæc ſatis dicta ſint pro refutatione opinionis ſupraſcriptæ. Sequuntur opiniones aliorum ponentium unitatem intellectus, & animæ rationalis diuerſimode. Nam alij dixerunt, eſſe unum Alia ratio Alia opi.

I intel-

intellectum, ſicut ſolem, & animas noſtras fluere ab hoc, ſicut imago vultus in ſpeculo. & pro animarum multitudine plures intellectus fieri quos intellectus, cum abeunt, non dicunt perire, ſed deſinere imagines eſſe; quæ opinio impugnabitur, quando probabimus nullo modo dari vnitatem animæ.

Alia opi. Alij dicunt, quod agens, & poſsibilis intellectus conſtituunt animam rationalem; & quod talis anima, cum ſit vnica, ſui præſentia animat, ſui adhærentia format, & ſui abſentia corpus corrumpitur. & quod poſtea homo ſpecificatur non per ipſam, ſed per intellectum patibilem, vel communem tanquam per imaginem iſtius animæ rationalis: quoniam dicunt, quod iſtæ animæ, vel intellectus patibiles, tanquam imagines fluctuant ab iſta anima rationali, & hinc ſumitur differentia animarum. quæ animæ ab alijs dicuntur imagines, ab alijs dicuntur vitæ, ab alijs animationes, ab alijs reſultationes, & ab alijs veſtigia, ac impreſsiones, qui intellectus communis eſt numeratus, & corrumpitur. quam opinionem dixerunt eſſe Themiſtij, Theophraſti, Eudemi, & aliorum. ſed quoniam varias circa hanc veritatem inuenio expoſitiones. cum expoſitor vno modo ſententiam Themiſtij exponat, & alij alio modo. & cum mea intentio ad præſens non ſit contendere de opinionibus expoſitorum, ſed demonſtrare rei veritatem, cum omnes dicant eſſe vnicam animam, vel intellectum, ſufficiet vt oſtendam non eſſe vnicam, & per conſequens opinionem Auerroi aſcriptã eſſe falſam. Dicunt enim, quod opinio Auerrois eſt iſta, quod rationalis anima una tantum eſt omnium numero; & aſsiſtens homini, tanquam principium mouens, & ſicut ars inſtrumento, motor cœli, & intelligentia orbi, vel Nauta naui; & quod vna ſufficit pro tota ſphæra humanæ generationis, & intellectus, qui dat eſſe nobis, & propter quem numerati ſumus, & operamur propriis, & ſignatis operationibus, dicit, quod eſt corruptibilis eductus de potentia materiæ ab agente naturali. Et ex hoc

Alia opi. Auerr. aſcripta.

intellectu

intellectu communi, vel cogitatiua, & corpore animali conficitur humanum, ac orbis, & ex hoc orbe vel animali humano, & intellectu aſsiſtenti fit vnum, non quidem in eſſe, ſed operatione qualiter ex nauta, & naui. & hoc totum eſt homo intelligens, & ſapiens, & diſputans, & operans propria operatione, & vtitur corpore rationalis anima, quo nauta vtitur naui, & faber cultello. Dixi enim. Dicunt enim, quod opinio Auerrois &c. quoniam multa habeo in contrarium, ideò, ut ad fructum veritatis, & mentis verorum philoſophorum tendamus, & non ad uerba, quæ ab alijs ſiniſtre torquentur, parumper diſcurrendum erit.

Digreſsio in defenſionem Auerrois, circa vnitatem intellectus.

NESCIO quomodo hæc ſit ſua ſtabilis opinio, cum indiſp. contra Algaz. loquatur de legibus, de Prophetis, de reſurrectione, ac futuro ſæculo, & de die Iudicij. quæ qui legerit, me verum dicere fatebitur. Nonnè in vltima diſp. in phiſ. contra Algazelem, affirmat orationes plurimum valere, præſertim quæ in ſacris bibliis hebræorum ſcriptæ ſunt. hæc autem ſunt eius verba. Dubium

Auerr. in diſp. cõtra Algaz. Idem in ult. diſp. in ph. contra Algaz.

non eſt, quod orationes faciunt abſtinere a turpibus verbis,& hæreſi. Ad quid Auerr. ponere orationes,ſi animæ non ſunt numeratæ?

Idem in diſp.4. in phiſ. Idem in ep.de bea. Ari. Idem in tract. par. met. Aue.3. de anima.

Præterea in diſp.4.in phiſ.& in Epiſtola de beat.animæ & in tract.par.met.ait. Eſſe in omni indiuiduo potentiam perueniendi ad gradum, in quo ſeipſam intelligat. ergo datur potentia particularis, & numeralis inter indiuidua.

Præterea 3.de anima.In anima ſunt duæ partes,intellectus, ideſt agens, & recipiens. & hæ ſunt neque generabiles,neque corruptibiles. & agens ſe habet ad recipiētem, ut forma ad materiam.ergo non eſt extrinſecus agens.ergo ponit vnum intellectum agentem intrinſecum præter extrinſecum vniuerſalem.

Auer. 12. met. Aue. 3.de anima 5.

Præterea 12.met.Quod mouit nos habet duplex eſſe in anima,& extra animam,intra eſt agens,& extra finis.ergo datur agens intrinſecns animæ. Amplius Auer. 3. de anima tex.5. Cum intellectus materialis fuerit agenti copulatus,& ab eo perfectus: tunc nos ſumus copulati cum intellectu agente. & hæc diſpoſitio dicitur intellectus adeptus.hoc igitur modo intellectus eſt unus,& multa, unus in re,multa in reſpectu ad homines.ecce quomodo ponit intellectum uniuerſalem,per quem ſumus unum, & plures,reſpectu noſtri,compoſitiue,non numero formali.

Zimarra. Reiicitur.

Præterea Zimara.Dicit Auer.in com.24. primi de anima, quod non eodem modo exiſtit in omnibus hominibus intellectus,hoc videtur repugnare unitati intellectus, dicit Zimara. Et uolens ſoluere hanc contradictionem ait, quod hic Auer. loquitur de intellectu particulari, qui eſt uirtus cogitatiua,& ibi de abſtracto,dico,quod hoc eſt falſum.nam ibi diſputat contra Anaxagoram, qui ponebat intellectum unum in omnibus animalibus. & ſi ipſe reſponderet de cogitatiua,non eſſet ad propoſitum;& reſpōdet Ariſtot.tex.24. primi de anima dicens, non uidemus iſtum intellectum exiſtere in omnibus animalibus ſimiliter; ſed ne quidem hominibus omnibus. at ſecundum

Auer-

Auerroem uirtus cogitatiua non eſt in alijs animalibus, ergo Auer. loquitur de intellectu hominum, ergo dat plu ralitatem.

Præterea pro defenſione ſua, & aliorum dico, quod illi qui dixerunt intellectum, uel animam eſſe unam numero, ſi intellexerũt de intellectu extrinſeco, & anima extrinſeca homini aduenięte, quod verum dixerunt. ſed ſi intellexerunt de anima rationali propria hominis forma, falſitatem ponunt. quoniam plurificabilis eſt & ad numerum indiuiduorum numerabilis, quamuis ſit una numero formali, cum omnes animæ ab una prima anima dependeãt. Sed quæ anima erit iſta?

Dico, quod Antiqui philoſophi tenentes, quod animæ ab æterno eſſent creatæ, hanc animam inter res creatas ab æterno connumerauerunt. & Abucaten poſuit animã hanc eſſe ultimam intelligẽtiarum. Nam ait primam animam ultimæ intelligentiæ continuari. Cui opinioni adſtipulatur Ariſto. in lib. de ſecretis ſecretorum, dicens, altiſsimus Deus formauit primò ſubſtantiam ſimplicem in tellectualem ſpiritualem perfectam; & nominatur intelligentia. & de illa exiuit alia ſubſtantia minima in gradu, quæ vocatur anima vniuerſalis, & progreſſa eſt ex anima alia ſubſtantia, quæ vocatur hyle, & ex huiuſmodi parte facti ſunt cœli. Ecce quomodo iſti philoſophi lumine naturali quædam diuina ſecreta penetrauerũt. Auerroes tract. 4. paraphr. met. ait. Intellectus agens ordinatur ex vltimo motorum cœleſtium; & ponamus eum eſſe motorem orbis lunæ, ecce quod ponit primam animam, quam vocat intellectum agentem; quoniam habet lumen Dei, quod animas hominum illuminat. & primo agentem intellectum particularem hominis. Auenazar, ſicut ait Auer. tracta. de beat. ca. 4. dicit. Principia per quæ conſtituuntur corpora, & ipſorum accidentia eſſe ſex gradus altos, & ſupremos, & hic eſt ordo. Prima cauſa eſt in primo gradu, ſecunda in ſecundo. Intellectus agens in tertio, anima in quarto. per hoc poteſt elici, quomodo poſt intelligentias

datur intellectus agens, qui eſt anima illa uniuerſalis. animam poſtea particularem poſuit quarto loco, cum quaternarius numerus propriè corpori applicetur. Vnde iſti philoſophi tenentes creationem omnium animarum ab æterno eſſe, dixerunt vnam eſſe animam numero formali: quamuis ſint plures numero compoſitiuè. in qua anima formaliter includebant omnes animas humanas, dicētes, quod ſicut in Deo ſunt abſolutè & cauſaliter, in hac anima ſunt formaliter, & in hominibus compoſitiuè. Eſt itaque cauſale, quod indiuiſibiliter omnes rerum eſſentias actu continet. Formale, quod in unico indiuiduo totam continet ſpeciem immutabiliter. Compoſitiuum, quod plurificatur ſecundum eſſe proprium in vnoquoq; indiuiduo. Et ut melius intelligatis, quæ ſit vnitas formalis, & quæ unitas compoſitiua: dico, quod eſt vnum vnitate numerali compoſitionis; ut Socrates, qui conſtat ex quadam forma, & quadam materia, quæ in eo coniunguntur. vnitas autem numeralis formalis, eſt ſicut omnes homines ſunt unus homo: ſed ſecundum formam, non ſecūdum vnionem eius cum materia. Eſt etiam alia vnitas propria materiæ, quæ eſt, & ipſa vnitas numeralis, ſed ſubiectiua. & hoc modo dicit Ariſto. primo phiſ. quod materia prima eſt numero vna. Eſt quarta denique vnitas omnium copulatiua, & contentiua, & ſuper omnia eminens; & tam diuiſionem, & multitudinem, quàm vnionē, & indiuiſibilitatem comprehendens; & eſt vnitas Dei, & ſecundum hanc declarationum vnitatum, quæ ſunt diuerſiſsimæ, verum eſt illud Boethij, omne quod eſt, ideò eſt, quia vnum numero eſt. Multi putauerunt vnum numero non extendi ſupra vnitates indiuiduorum materialium. & hæc diſtinctio, quam feci, quamuis ſit maxima in omni diſciplina communiter ignoratur. Sic ad propoſitum dicimus, quod vis vna rationalis eſt in hominibus cunctis humanam ſpeciem cōſtituens. ſicut vis vegetatiua, & materia vna prima in omnibus materialibus. ſed ſicut materia variatur, & contrahitur in hunc, uel illum gradū eſſen-

tiæ,

tiæ,& formæ materialis:ita vis rationalis indiuiduatur,& ſingularizatur in ſingulis animabus,ſecundum proprium gradum earum,& materiam,vt etiam dicemus, vnam eſſe frigiditatem, & humiditatem in omnibus aquis. & vnā vim calefaciendi in omni pipere. eſt enim uis rationalis in anima,ſicut vis calefactiua in pipere,& humefactiua in aqua. Et eſt quædam operatio,quæ ut operatio eſt,eſt vna vnitate numerali formali, licet non compoſitiua, ſecus omnes animæ eſſet vna ſingularis anima. quod eſt falſum de vnitate compoſitiua, ſeu compoſitionis, quæ eſt vnio multorum, non autem de vnitate formali, quæ eſt vnio communis formæ vnius numero. Et certè, quod talis defenſio poteſt ſtabiliri. Nam cum uaria ſint entia intelligibilia:neceſſe eſt in omni eorum multitudine ſtatuere aliquem principem,& in ſingulis ordinibus ſuos ductores ponere,qui ſuis ſubiectis tribuant omne donum,quod a Deo recipiunt.quod videns Auer.in 3.diſp. contra Alg. cum iam ad ineffabilis Dei ſermonem perueniſſet, nec poſſet vltra procedere,ob debilitatem intellectus ſui, ait. Imaginare Deum eſſe Principem habentem ſubſtitutos multos,& hos habentes alios ſub ſe, & eſſe ſubſtitutorum eſt ſolum in recipiendo ſubſtitutionem, & faciendo præceptum eius;& non eſt eſſe ſecundis, niſi mediantibus primis. & neceſſe eſt principem eum eſſe, qui tribuit omnibus id quod ſunt, & hoc eſt, quod tenent philoſophi, & Ariſto.& Plato.& eſt finis eius,ad quod peruenerunt intellectus humani; hæc ille. Sicut igitur Deus habet ſub ſe multos; ita illi ſunt aliorum ſub ſe immediate ſubſtitutorum ſinguli Principes,quod & Ariſto.in lib.de mundo cō firmat. Cum igitur animæ humanæ debeant poni ſecundum ordinem,neceſſe quoque eſt illis præponere Regem,qui alijs non deſeruiat,& conſequenter, qui lumen illud intellectus a Deo deſcendens totum recipiat, & illis participet.& hic erit,ut diximus,ſecundum prædictos philoſophos anima humana,quæ quoniam eſt intelligentijs principibus ſuorū ordinum immediatè ſuppoſita, & ipſa

Auer. 3. diſp. contra Alg.

Ar.in l.de mundo.

intelligentia appellatur, ſed vltima. hucuſque peruenerũt lumine naturali Themiſtius, Auer. & alij multi philoſophi, ſed non apprehenderunt qualitatem eius, & potius in hoc paſſu prophetarunt, quàm quod firmiſsimis rationibus moti ſint, hanc animam cognoſcere. Quamobrem hebræi, quibus veritas à Deo innoteſcebat in ſuis ſermonibus Cabaliſticis, quæ ſit hæc anima clarius patefecerũt dicentes, eã eſſe animam animarum, quæ eſt anima Meſſihæ, & quidem rectiſsimè. Nam eatenus viuit anima, quatenus in Domino noſtro Ieſu Chriſto viuit, & eius membrum, & ſoror, & filia, & ſerua eſt. Et quamuis hebręorum aliqui ordinis animaſtici, Principem Metraton, uel Seraphin, uel animalia ſanctitatis, uel alios Angelos ponunt, ſi hæc intelligentia eſt alia ab anima Meſsihæ falluntur, cũ nulla intelligentiarum, quàm anima Meſsihæ corpori cõiungenda erit. Vnde philoſophi iſti, quamuis in parte veritatem lumine naturali attigerunt, ponentes animam vnam animarum: tamen quia fecerunt ipſam infimã, quæ ſuo lumine continuaretur, cum animabus noſtris errarunt: quoniam anima tantum à Deo ipſo omne lumen accipit, cum a Deo ſit creata, & etiam cum ultima beatitudo animæ ſit in Deo. ergo lumen ab ipſo venit. Denique ſi homo participaret lumen intelligibile ab Angelo, uel alia anima infima: ſequeretur, quod homo ſecundum mentem, non eſſet ad imaginem ipſius. Vnde dicendum, ſecundum veritatem, quod lumen in rationales animas influit, & in vna præſertim ſemper totum recipitur, quæ alijs poſtea largitur; & ſicut mandauit pater, ſic facit. & ſecũdum hoc diſcernimus verum à falſo, & bonũ à malo. veritatem attigerunt: quoniam ſupra animam humanã poſuerunt intellectum, a quo dependet intelligere omnium animarum, & hoc rationabiliter philoſophati ſunt. quoniam, cum anima humana ſit intellectiua per participationẽ, ergo oportet eſſe aliquid ſuperius animæ, a quo intellectualitas animæ deriuetur, & a quo eius intelligere principaliter dependeat. Et hoc correſpondit naturæ ipſius

ſius animæ. Nam anima humana inuenitur in principio in potentia ad intelligibilia, & imperfecta in intelligendo, ergo oportet ſupra animam eſſe aliquem intellectum ſemper in actu exiſtentem, & totaliter perfectum intelligentia veritatis. & quamuis homo proprio lumine agentis intrinſeci poſsit intelligere, & fieri actu: tamen quia non ſemper in tali actu ſtare poteſt, nec perfectè ſecundū veritatem, quamuis verè omnia intelligere: ideò indiget intellectu vniuerſali ſupradicto, cuius intelligere ſemper eſt fixum, & quietum abſque diſcurſu inhærens homini; & ipſum ad vltimam perfectionem conducens. quoniam per hanc animam, quę totum lumen Dei habet, homines illuminantur. Quæ anima verè eſt anima Chriſti, & facit, vt homo ſit Angelis ſuperior: quoniam cum anima Chriſti vnita ſit cum Deo, & in ipſa ſint omnes animæ humanæ formaliter, ut diximus: ideo cum coniungimur Chriſto, ſubleuamur ſupra Angelos. quod ante incarnationē non erat, quoniam nondum ſpeciem humanam recuperauerat. ideò dicit pſ. paulò eo minuiſti ab Angelis. quod dictum eſt ante incarnationē. & certè ſi in ipſa anima Chriſti non eſſent omnes animæ formaliter, non potuiſſet ſaluare totam ſpeciem humanam. ideò benè dicunt Theologi. Qui dixerit Chriſtum aſſumpſiſſe perſonam, & non totam ſpeciem homanum, anathema ſit. ſed hæc cum ſint ſecreta abſcondita a ſapientibus mundi, & paruulis reuelata: tranſeamus iam ad philoſophos tot & tanta de hac vnitate intellectus, & animæ rationalis diſputantes. & hæc tantū dicta ſint potius pro veritate oſtendenda, quàm pro falſa aliorum opinionum, ſi falſa eſt ſuſtentanda, quoniā profeſsio mea eſt aliquo modo ſi poſsibile eſt, & non veritati contrarium ſaluare ueros philoſophos, cum credibile ſit ſapientes niſi ſapienter loquutos fuiſſe. ideò verba ſua non ſenſu extorto, ſed ad fauorem ueritatis debent interpretari. Scio enim multos, & quaſi omnes non legiſſe totum Auerroem, & ſic alios ſcriptores, ſed tantum nouis expoſitoribus opiniones antiquorum falſo recitanti-

bus

bus credunt.& hinc omnis ignorantia, & multitudo argumentorum,opinionum, ac controuerſiarum. Vtcunque ſit, concludimus cum prædictis, & ſecundum ueritatem, unam eſſe animam numero formali, & plures numero compoſitiuè.Et ne aliquid nobis ſit impedimento, fortiſſimas rationes pro veritate in medium adducemus, & argumenta in contrarium ſoluemus.

Quod non ſit unus intellectus. Quod igitur non poſsit eſſe unus intellectus,manifeſtũ eſt:quoniam nullus motor vnus numero in vno tempore vtitur plus vno inſtrumento ſibi adæquato, ut nauta naui vna. ſed intellectus vtitur pluribus inſtrumentis,quoniã in omnibus hominibus eſt, & homo eſt inſtrumentum adæquatum, ergo non vnus ſed plures erunt intellectus.

Alia rõ. Nec etiam nullus motor vnus numero exercet opera diuerſa numero eiuſdem ſpeciei pro vno,& eodem tempore,ſiue vno, aut pluribus inſtrumentis: ſed intellectiones ſunt operationes,quarum vna eſt in poteſtate vnius ad eſſe,& non eſſe,& altera eodẽ modo. ego enim poſſum ſyllogizari, quando volo, & tu quando vis:immò te nolente, vt quilibet experitur. ergo intellectiones diuerſæ numero in nobis,ergo intellectus eſt numero diuerſus,& nõ vnus.

Alia rõ. Preterea rationalis anima circa idem obiectum eodem modo apprehenſum actus contradictorios exequitur.quoniam ego eligam fornicationem,& tu fugies.ſed velle, & non velle ſunt contradictoria, ergo non eſt una numero omnium. Si ergo diſtinguuntur operationes ſocratis ab operatione Platonis,ergo ſequitur,quod etiam eſſentia illius operationis diſtincta, erit cõſequenter plures,non autem vna numero.

Obiectio. Quod ſi dicas diuerſitatem eſſe inter Socratem, & Platonem in ſecunda perfectione, non tamen propter hoc concludi diſtinctionem primæ perfectionis,atque ipſius eſſentiæ,tunc ſequentur tria maxima inconuenientia.

Tria incõuenientia ex ſupradicta obiectione. Primum. Etenim ſuppoſito, quod anima det eſſe, vt probauimus, ſequeretur, quod Socrates eſſet per eſſe ipſius Platonis,quia cũ intellectus ſit eſſentia, ac prima perfectio dans eſſe Socrati, quæ eademmet una nume

ro per

ro per ſe reperiatur etiam in Platone, nulli dubium, quod eſſe vnius eſſet per eſſe alterius. Secūdo ſequeretur, quod Plato eſſet antequam eſſet. Etenim cum pater Platonis intellectum habeat, profectò cum det eſſe omnibus communiter Plato eſſet antequam foret. Tertio ſequeretur, quod homo nō eſſet generabilis, & corruptibilis inquantum homo, ſed inquantum animal eſt, & beſtia. Nam ſi intellectus eſt immortalis, & unus numero ſit omnibus, nō dabit eſſe alicui. Vnde homo eſſet corruptibilis ratione animæ ſenſitiuæ, & ſic ratione, qua beſtia corrumpitur, ipſe quoque corrumperetur; ita quod, ut hæc abſurda euitemus dicendum eſt intellectum, & animam ad numerū indiuiduorum pluriſicatam eſſe; quia ſi verum eſt, dicit Alb. quod inquit Ariſto. 12. met. vniuerſalium principia ſunt vniuerſalia, & particularium particularia, dubio procul, ſi intellectus vnus numero eſſet in eſſentia particularium, amplius non eſſent particularia principia. Vnde dicendum intellectum numero pluriſicatum, ſecundū quæque indiuidua. Amplius inquit, ſi poneremus intellectum non eſſe formam, ſed ſicuti motorem, cum vni motori, & artifici non detur niſi vnum inſtrumentum, ſuperfluæ eſſent phantaſiæ reliquorum hominum, præter vnum. Intellectus igitur, cum ſit forma hominis, vel hominum a qua ſumitur, & ſumuntur differentiæ eorum numeratæ, erit etiam ipſe numeratus. & quod rationalitas, quæ eſt differentia, multiplicetur, hoc patet, quoniam animalitas, corporeitas, ſubſtantia, entitas numerantur. ergo multo magis rationalitas. implicat enim impoſsibile animalia eſſe duo, & eſſe hominem vnum non poteſt eſſe unum numero rationali, ergo duo, ergo rationalitas multiplicatur. Certè, quod omnibus ſenſibus contradicet eſſe vnicum numero intellectum: quoniam quilibet ſenſus indicat in ſe per unam ſenſationem ſpecie eſſe unum ſenſum ſecundum ſpeciem, ergo & eodem modo una intellectio numero eget uno intellectu numero, & plures pluribus. Quoniam ſi duo intelligūt per vnum intellectum poſsibilem,

Secundum. Tertium. Alia rō Alb. Secunda rō Alb. Alia rō Incōueniens.

ſeque-

ſequeretur,quod vna, & eadem numero eſſet intellectua lis operatio vtriuſque. ſicut ſi duo homines viderent vno oculo,ſequeretur,quod eadem eſſet viſio vtriuſque, quod eſt falſum;quoniam vnius virtutis ſimul,& ſemel eſſe plu res actiones reſpectu eiuſdem obiecti, non eſt poſsibile.

Reſponſio obiecti. Nec poteſt dici, quod intelligere Petri diuerſum ſit ab illo Socratis, per diuerſitatem phantaſmatum, quia phantaſma non eſt intelligibile,ſed concurrens ad intellectionem,quando intelligimus cum phantaſmate. Vnde diuerſitas phantaſmatum extrinſeca eſt ab intellectuali operatione.

Alia rō Præterea cum intellectus poſsibilis ſit, quo hic homo ſpeciem ſortitur humanam,non intellectus paſsiuus, vel cogitatiua.ergo ſi unus eſſet,omnes homines eſſent vnus homo.Item ſequeretur,ſi intellectus poſsibilis eſſet unus, quod non indigeret, quod ſpecies potentia intelligibiles fierent actu intelligibiles ab agente. quia cum iam multi homines præceſſerint, reſpectu illorum eſſet in actu, & non in potentia ad recipiendum, quia nihil recipit quod iam habet.& ſic ſequeretur etiam, quod noſtrum ſcire eſſet reminiſci. Vnde ex his patet,non eſſe unus ſeparatus, cum dicat etiam Ariſtoteles, quod in anima rationali eſt poſsibilis, & agens, ergo poſsibilis eſt pars ipſius animæ rationalis. Sed ſi diceret aliquis, in his quæ ſunt ſine materia, eſt unum tm̄ indiuiduum in una ſpecie:ſed intellectus poſsibilis ſiue anima intellectiua, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis,non eſt cōpoſita ex materia,& forma,ergo una in tota ſpecie humana. Soluit hoc argumentum S.Tho.dicens,Angeli,ſicut non habent materiā ex qua ſunt,ita nō habent materiam in qua ſunt.anima verè habet materiā

Reiicitur in qua eſt. & ideo Angeli nō poſſunt eſſe multi in vna ſpecie,ſed animæ poſſunt eſſe multæ vnius ſpeciei. Dico ego clarius ſecundum noſtra principia & verorum philoſophorum primò ad illam maiorem, quod in his, quæ ſunt ſine materia &c.quod verum eſt de Entibus completis.cū dicit poſtea,quod anima non eſt compoſita, negatur,quia

eſt cõpoſita, negatur, qa eſt cõpoſita, ut diximus, ſicut ẽt in telligẽtię. ſed aĩa, quia eſt ens incompletũ: ideo numerat̃, & ſunt plures numero, & intelligẽtiæ ſunt entia cõpleta: iõ differunt ſpecie. Animæ verò cũ ſint entia incompleta, non oportet, ut ſint vna in ſpecie, immò neceſſarium eſt, quod ſint plures numero. Et ſi dicerent adhuc. Si intellectus poſsibilis in me eſt alius, & in te, oporteret, quod res intellecta eſſet alia in me, & alia in te, cum res intellecta ſit in intellectu, & ſic res intellecta numeraretur per numerationem indiuiduorum hominum. ſed omnia quæ numerantur per numerationem indiuiduorum, habent rem intellectam communem, & ſic rei intellectę erit alia res intellecta in infinitum, quod eſt impoſsibile. ergo vnus intellectus. Dico, quod res intellecta a duobus intellectibus, eſt quodammodo vna, & eadem, & quodammodo multæ: quia ex parte rei, quæ cognoſcitur, eſt vna, & eadem: ex parte verò cognitionis eſt alia, & alia. ſicut ſi duo uideant vnum parietem, eſt eadem res viſa ex parte rei, quæ videtur, alia tamen, & alia ſecundum diuerſas uiſiones. Vnde ratio vniuerſalitatis, quæ conſiſtit in communitate, & abſtractione, ſequitur ſolum modum intelligendi, inquantum intelligimus abſtractè, & communiter. Quomodo igitur dicent philoſophi, quod intellectus ſit vnus numero? Si intellectus eſſet vnus numero, non nè eſſet hoc, & indiuiduũ? & nõnè generabilis, & corruptibilis. Pręterea, ſi anima rationalis eſt una numero, uel priuatiue, ergo materia: uel poſitiue, ergo forma materialis. nõ erit ergo vnus numero intellectus, quoniam vnum numero non inuenitur in pluribus. ſed rationalis anima eſt in pluribus apud omnes, ergo non eſt vna numero. Et ſi dicunt, quod philoſophus ait intelligere marceſcere, quodã interius corrupto, intellectum autem manere, & quod per hoc philoſophus oſtendit euidenter, vnam tantum eſſe animæ eſſentiam, aliter idem corrumperetur ſimul, & non corrumperetur. Dico, quod non intelligunt Ariſt. quoniam illa met propoſitio coincidit cum illa, quando dicit,

Obiectio (margin, beside "Si intellectus poſsibilis")
Reſponſio (margin, beside "Dico, quod res intellecta")
Obiectio (margin, beside "Et ſi dicunt")
Reſponſio (margin, beside "Dico, quod non intelligunt")

dicit,quod intellectus paſsiuus corrumpitur. Dico,quod intelligere marceſcit formaliter, non autem cauſaliter ideò benè dixit,intellectum manere,ſcilicet eſſentiam,in qua includitur potentia illa,quę formaliter corrumpitur, non autem eſſentialiter. & ideo non eſt inconueniens, quod idem corrumpatur, & non corrumpatur. quoniam per potentiam formaliter corrumpitur, quando amplius non poteſt operari, per eſſentiam habens eandem et potē tiam cauſaliter,non corrumpitur, ut diximus. Vnde non eſt dicendum, quod intellectus ſit unus, & non forma hominis. quoniam ut dicit S. Thom. ſi intellectus non eſſet forma dans eſſe,eſſet ut motor extrinſecus operans.nec dicendum eſt eſſe formam intrinſecus operantem, quoniā ſi intrinſecus eſſet ſuus intellectus vnicus, & operaretur, daret eſſe, cum anima intrinſecus per eſſe ſuum eſſenſificet corpus:

Obiectio Nec obſtat dictum Themiſtij in 3.cap.32. qui ait. Idem numero eſt actus intelligendi præceptoris, & diſcipuli, ſed actus intelligendi eſt intellectus, ſecundum quid uel ſimpliciter, ergo idem numero eſt intellectus vtriuſque, uel ſimpliciter,uel ſecundum quid. quoniam ad ſolos homines pertinet docere, & diſcere uiciſsim,& ſermonem, intelligentiam habere.hoc animalibus non poteſt contingere,quia in his conſtitutio animarum, & partitio contumax ineptaque eſt,ut intellectum potentię poſſent recipere,qui ab intellectu agente perficiatur.

Reſponſio Dicendum,quod vnum, & idem ſecundum rem poteſt intelligenti diuerſis,propter principia intelligendi ſimilia in ſpecie, & non numero.

Præterea, omnis ſcientia fit in nobis virtute intellectus agentis, qui verus eſt præceptor intrinſecus.eſt enim magiſter quaſi applicans actiua paſsiuis. ſed intellectus agēs inducit ſcientiam, & hac de cauſa beſtiæ non inuicem docentur.

Obiectio Et ſi adhuc diceret. Vnde enim communes illæ animi præ notiones,conceptioniſque omnibus pręhaberentur? Vnde ingenita illa impreſſaque omnium mentibus

bus principiorum notitia conſtituiſſet natura, duce nulla ratione, nulla doctrina? ergo eſt argumentum eadem numero principia eſſe omnibus per naturam nota, ergo hæc eget eodem numero ſubiecto, & eodem numero declaratore. ergo rationalis anima cum conſtituatur ex ſubiecto illorum, & declaratore, erit vna numero omnibus, Dicendum, quod vnus conſenſus in primis principis non ex vnitate numerali intellectus profluit, ſed ex conſimili agentium intellectiuũ, quibus in omnibus eodem modo principia inſtruantur. Et quamuis Auer. 7. met, comm. 28. Themiſt. cap. 23. & omnes philoſophi dicant, quod omnis forma ſubſtantialis, quæ multiplicatur numeraliter, manens eadem ſecundum ſpeciem inhæret materiæ diuiſæ, & per conſequens extenditur ſecundum eius extenſionem. ergo contra Ariſto. intellectus erit corpus, & uirtus in corpore. Reſponſio Obiectio

Reſpondent aliqui dicentes, quod illa forma numerata per materias, eſt extenſa, quando per eſſe actuale in materia, & non habitudinale; cuiuſmodi non eſt rationalis anima. ſed clarius dico, quod illſa forma numerata per materiam extenſa eſt, quando eſt numerata per materiam, quæ eſt in potentia ad eſſe, & non eſſe, ſed anima eſt numerata per materiam, quæ eſt in potẽtia ad eſſe tantum: ideo dicitur aptitudo. & ſic numerantur animæ per corpus, tanquam per terminos extrinſecos aptitudinum; & per aptitudines tanquam per materias, & terminos intrinſecos. ita quod intellectus meus eſt abſtractus a materia, quoniã nullius corporis actus eſt. attamen ſingularis, quoniam in eſſentia rationalis animæ, quæ numeratur per aptitudinẽ ſuam, & non per corpus. quoniam rationalis anima ſimpliciter non eſt per corpus, in quo actu ſit, ſed in quo apta nata eſt eſſe, & eadem ſimpliciter eſt ſine corpore. & ideò non operatur per diſpoſitionem corporalem. Et ſi quis diceret, ſi rationales animæ ſunt æternæ a parte poſt & numero diuerſæ, cum mundus per Ariſtot. ſit æternus, ergo infinitæ. ſed apud philoſophos nullum infinitum in actu Reſponſio aliquorũ. Reſponſio clarior. Obiectio 2

Reſponſio actu ſiue corporeum, ſiue incorporeum datur. Suppoſito, & non conceſſo, quod mundus ſit æternus, dico, ſecundum principia philoſophiæ, quod non inconuenit infinitum eſſe in ſeparatis actu a materia. Amplius, author de cauſis, & Proclus dicunt, quod anima rationalis eſt ſupra tempus: ſed tempus poteſt eſſe. in omnibus rebus temporalibus vnum numero, ergo rationalis anima, cum ſit virtuoſior, & abſtractior, poteſt eſſe in omnibus hominibus. Dicendum, quod tempus comparatur ad vnum mobile, & vnum motorem. Rationalis anima, & ſi ſit ab vno motore, tamen eſt reſpectu plurium mobilium, & ſic comparatio non currit. Et quando dicunt, ſi intellectus eſſent numerati in diuerſis hominibus, tunc in rebus intellectis eſſet iter infinitum, quoniam intellecta mea a ſuis numero diſcreta ſunt, & congruunt ſpecie. ergo contingit abſtrahere vnam formam ab eis. Reſpondendum, quod ſicut non eſt inconueniens in hominibus, ut indiuidua in infinitum procedant per accidens, non in quantum homo, ſic in intellectis, ut vniuerſalia, non proceditur in infinitum. ut autem accidit ei intelligi a me, & a te, ut ſic poſſunt in infinitum extendi, & hoc eſt per accidens. Et quando inſtant dicentes Ariſt. 3. de Anima dicit, idem eſt intellectus, & quod intelligitur. ſed id quod intelligitur eſt idem apud omnes, ergo intellectus poſsibilis eſt unus in omnibus hominibus. Dicendum, quod quoad vniuerſalitatem, cum omnes conſiderant vniuerſale per ſpeciem intelligibilem, eſt vnus: quia omnes conſiderant vniuerſale. ſed quoad ſpecies intelligibiles, quæ in intellectu iſtius, & illius ſunt, intellectus poſſibiles ſunt plures; quia Intellectus ſua abſtractione facit iſtam vnitatem uniuerſalem, non eo, quod ſit vnus in omnibus, ſed inquantum immateriales. Similiter quando Ariſtote. dicit, quod intellectus eſt locus ſpecierum, vult dicere, quod eſt vnus, & communis omnibus ſpeciebus, eo quod continet ſpecies, & non quod ſit vnus omnium hominum. qui intellectus poſsibilis non multipli-

Obiectio (beside "finitum eſſe in ſeparatis…")

Reſponſio (beside "hominibus. Dicendum…")

Obiectio (beside "lium, & ſic comparatio…")

Reſponſio (beside "dendum, quod ſicut…")

Obiectio (beside "idem eſt intellectus…")

Reſponſio (beside "eſt unus in omnibus…")

tiplicatur in diuerſis, ſecundum differentiam alicuius formæ: ſed ſecundum multiplicationem ſubſtantiæ animæ, cuius eſt potentia. Nec valet dicere, operatur vbique, ergo vbique, ergo in omnibus vnus. quoniam intellectus poſsibilis poteſt dici vbique, non quia operatio eius ſit vbique, ſed quia operatio eius eſt circa ea, quæ ſunt vbique. Quid amplius dubitandum eſt de plurificabilitate animarum rationalium? Nonnè per authoritates, rationes, & reſponſiones contra aduerſarios, manifeſtata fuit hæc veritas? Nonnè vident homines inconuenientia, & abſurda, quæ ſequuntur, ſi datur hæc vnitas? Si enim intellectus non numeratur hominum numeratione ſequitur, quod aliquod erit indiuiduũ ex genere, & nõ ex differentia, & cum prima perfectio hominis ſit vna numero, etiam vnus numero homo tantum. Præterea, ſi intellectus vnus, omnia enim erunt æqualia toti uniuerſitati, quemadmodum uni. Ad quid tot præces, continuæ orationes, vota, flagella, religiones, legis conſtitutiones, ordines naturales, & tot quot videmus? Si vnicus intellectus omnium, quæ Dei actio erit? & quale miraculum dicetur eſſe homo, ut omnes antiqui dicunt? Ad quid Aegyptij, Aſsirij, & Magi, quorum caput fuit Zoroaſtes, Babiloni, Caldæi, Hebræi, ac magna pars græcorum ſcribere hanc animarum differentiam? Quare idem confirmare Pythagoreos, & omnes Platonicos? Ammonium, Origenem, Herennium, Plotinũ, Porphyrium, Calcidium, Proclum, Iamblicum, Sirianum, Numerium, & omnes alios. Nonnè Arabes, Auicena, Algazel, Conſtabel, Auenazar, Auenatan, & alij hanc plurificabilitatem confeſsi ſunt? Taceo Moſem, Paulum, Dyoniſium Areopagitam, Auguſtinũ, Baſilium, Damaſcenum, Gregorium Nicenum, & omnes Theologos, qui diuinitus de hac differentia animarum loquuti ſunt; quos ſequuti ſunt Latini præclariſsimi Lyuconienſes, Boetius, Albertus. S. Thomas, Egidius, & ceteri, qui hanc ueritatem declarauerunt. Quid plura? Nonnè Ariſt. qui ſapientiſsimus fuit, per prędicta hanc ueritatem cognouit?

cognouit? Qui etiam in Ethicis c.10.& 11.ait. Mortuis bonum,& malum accidit, propter viuentes,ſed non tales ut illo faciant felices,aut miſeros. Cum ergo probatum ſit, neque animam rationalem, neque intellectum poſsibilē vnicum eſſe poſſe:per conſequens erit probatum, etiam agentem intellectum intrinſecum hominis multiplicatū eſſe per multiplicationem animarum, cum ſit pars animæ,& de eius eſſentia. Nihil enim inconuenit in eadem eſſentia,eſſe agens,& patiens,ut diximus. Et ſi aliquis diceret, ſummum bonum omnibus notum eſt, ergo ueritas,

Obiectio quæ ipſum comprehendit, erit vna,talis eſt intellectus a-

Reſponſio gens.ergo vnus. Dico,quod veritas eſt una,ratione primæ lucis;ſed apprehenditur diuerſo modo a mente,& intellectibus,& ſic plurificatur ſecundum intellectus agentes diuerſitatem. & quamuis uniuerſale ſit unum in omnibus, & quod agens facit uniuerſale, non propterea eſt unus: quoniam diuerſitas intellectuum non impedit vnitatem

Cōcluſio. uniuerſalis. Vnde ex his omnibus concludimus,animarū rationalium diſtinctionem eſſe,& ſumi uel ex parte earū, uel ex parte noſtra. ex parte earum, per propriam materiā formatam,quam habent, aptitudinem a nobis uocatam, cum ſit in potentia ad eſſe tantum. Si uerò ex parte noſtra diſtinctio animarum eſt,non cognoſcitur,niſi quãdo ſunt in corporibus diuerſis illiſque vtentes ad diuerſa opera. tunc enim anima Socratis altera apparet ab anima Platonis.non quod antea huiuſmodi diſpoſitionem,& diuerſitatem,non habeant,ſed hanc diuerſitatem,& illum habitum in corporibus diuerſis manifeſtant,& patet in eis. Et hæc dicta ſint pro ultimo corollario, & pro complemento totius cauſæ formalis. ad alias partes tranſeamus.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De cauſa efficientę ipſius Animæ Rationalis, quæ eſt eius creatio à Deo.

Liber Quintus.

NVNC de cauſa efficiente ipſius animę rationalis ſermonem inſtituemus,ſcilicet de creatione eius a Deo,& per conſequens de inſtantanea ipſius animæ cum generatione corporis infuſione.& cum de origine animarum rationalium non ſolum inter philoſophos, ſed etiam inter Theologos maximum ſit diſsiduim, ideo per particulas

Opiniões illorum, q dixerunt aĩam rõna lẽ pueni- re ab aĩa mundi.

Theod. Numeni'. Theophr. Themiſt. Algazel.

definitionis, & eius conſequentiæ quiſque omnes falſas opiuiones redarguere poterit. Diximus igitur in definitione noſtra, animam rationalem eſſe à Deo. vt excluderemus agentem naturalem, & opiniones illorum, qui dicebant animam rationalem eſſe ab intelligentia, vel anima mundi. Quod autem anima rationalis ab anima mundi veniat, huius opinionis fuerunt Theodorus, ac Numenius, qui dixerunt animationes, ac uitas, quæ animæ ſecũdæ appellantur ab anima mundi prouenire, non per creationem, nec per diuiſionẽ animæ mundi, ſed per impreſſionem relictam ex ingreſſu eius in corpus. Theophraſtus verò, Themiſtius, & Algazel animam rationalem, quę hominem ſpecificat per productionem alij, & alij per creationem ab anima mundi prouenire dixerunt. & hanc eſſe corruptibilem, intellectum verò a Deo, uel ab intelligentia, ut alij. Auicena verò, & Iſaach vel Abucatem author de cauſis, dixerunt animam illam, quæ ſpeciem, & actum dat homini; & uitam, quam Themiſtius animationem, Auer. cogitatiuam, Plotinus uitam ſecundam nominant, eſſe de foris ab intelligentia. Similiter Hermias, Seleucus, Galatæ, vnde orta fuit hæreſis Meſſalianorum, dixerunt animas fuiſſe ab Angelis. Duximus enim creata. vt excluderemus opiniones illorum, qui uoluerunt animã rationalem diſsipari ad corruptionem totius corporis, factam tamen immediate à Deo, non per opus creationis, ſed per animationem ipſam: & etiam ut excluderemus illos, qui animam ab anima, quemadmodũ corpora a corporibus generari dicunt, ut fuerunt Tertullianus, Cirillus, Luciferianus, & Apollinaris Alexandrinus, contra quorum hæreſim diſputat Hieronymus. Et denique, ut omnes illos reijceremus, qui dicunt, rationales animas ex ſemine generari, & produci. Cuius opinionis fuerunt Abubacher ſotius Auerr. Auemp. Alpharab. & alij Epicurei, qui crediderunt rationalem animam ſpecificam homini propriam, per quam homo diſtinguitur ſpecie ab alijs ſui generis eſſe ex ſemine propagatam, &

Opiniões illorum q dixerunt aĩam rõna lem proue nire ab in telligẽtiæ.

Auicenna. Iſaa ch. Hermias. Seleucus. Galatæ

Opiniões illorum q dixerunt aĩam ab aĩa generari.

Tertull. Cirillus. Luciferia- nus. Appolli- naris.

Opiniões illorum q dixerunt animas ex ſemine generari.

Abuba- cher. Auempa. Alphara- bius. Epicurei.

habere

habere plures uires, quarum potiſsima, ac intellectui ſeparato cognatiſsima eſt cogitatiua, quæ eſt alterius ſpeciei, ac nominis ab ea, quæ eſt in brutis. quæ enim cogitatiua appellatur in homine, in brutis extimatiua ab Auer. dicitur. & per hanc uolunt, quod diſcurramus particulariter, & per intellectum ſeparatum vniuerſaliter, quem alij a Deo, alij ab intelligentia eſſe dixerunt, ut recitauimus. Diximus enim in conſequentia loqui de

inſtantanea ipſius Animæ cum generatione corporis infuſione.

ut excluderemus opiniones tum illorum, qui uoluerunt animas eſſe ab æterno creatas, & ante corpus: tum illorũ, qui poſt corpus ipſas venire dicunt. Qui verò poſuerunt animas rationales eſſe ante corpus multi fuerũt, & diuerſarum opinionum. Aliqui a mundi origine factas in cœlo omnium animas putant. Inter quos eſt doctiſsimus Origenes. Alij primi parentis animam cœlitum ortu putant corpore antiquiorem, idque poſtea tanquam aptum ſibi contemplatum domicilium uoluntario motu expetiſse. Macrobius verò in primo lib. ponit duas eſſe cœli partes, unam Deorum, alteram animarum, in Cancro, & Capricorno. per quarum alteram animæ ad corpus deſcendebant. & ibidem inquit, animæ beatæ ab omnicunque contagione corporis liberæ, cœlum poſsident. Pythagoras verò credit a Lacteo circulo deorſum Deos, ideſt Plutonis imperium, quia animæ inde lapſæ videntur iam a ſuperis receſiſſe, ideò primum naſcentibus afferre ad lactis alimoniam, quia primus eorum motus a Lacteo incepit, & ita corpora terrena habitantibus. Iamblicus, & Plotinus in primo quartæ Enead. diſputat, quomodo anima rationalis ante deſcenſum in corpus, & poſt deſcenſum ratiocinetur. & concludit eam ratiocinari vtroque modo, ſcilicet ante, & poſt corporis receſſum; immò eſt tunc adeò

Qui poſuerũt animas eſſe ante corpus, diuerſarum fuerũt opinionum.

Opinio origenis.

Opinio aliorum.

Opinio Macrobii.

Pithagoræ opinio.

Iamblici, & Plotini opinio.

K 3 effi-

Quidam hæretici. efficax,& ſic ponunt ipſam ante corpus. Quidam hęretici dixerunt animas deſcendere per ſeptem circulos, & in quolibet ſibi ponere vnum corpus,& ſimul mori,& poſtea detrudi in hanc vitam mortalem. in qua etiam transformantur in multa corpora, ut ipſi dicunt,& tandem reaſcendent, & reinduent corpora, quæ in circulis ſeptem inferioribus,& octauo ſuperiori lacteo reliquerũt. & hãc dicunt eſſe mentem Platonis, quando inquit, animas uirorum quandoque in fœminas, quandoque in belluas tranſmigrari. ſi iuſtitiam nõ ſeruabant in fœminam. ſi ſecundo adhuc iuſtitiam non ſeruabant in pecudes, & tandem expurgatæ redeunt in lacteum circulum eo ordine, quo deſcenderunt,& hoc origenes confirmat. Pythagorici,:& Proculus. Pythagorici & Proculus, & alij opinantur animam rationalem eſſe ante corpus, nunquam tamen eſſe ſine aliquo corpore, & ideò eam incompletam eſſe in ſui ortu dicunt, complementum verò accepiſſe, eo quia infinities corpora aggreſſa,'& ex eis regreſſa eſt. Themiſt. & Theop. Themiſtius in primo ſuæ paraphra. ca. 32. ponit rationalem animam ante corpus, quẽadmodum ſol ante illuminationem, vitam autem ab illa effluxam ſimul cum corpore oriri, atque diſsipari,& ſimiliter Theophra. ponit ipſam animam rationalem eſſe ante corpus. Qui verò poſt corpus ipſam venire dixerunt, multis nugis, & authoritatibus Ariſtot. malè intellectis, ſuam opinionem confirmare conantur.

Nos igitur excluſis omnibus ſupradictis opinionibus, cum veritate, & bonorum philoſophorum authoritatibus conſentimus, & affirmamus, animas ab initio non ſimul cum cœteris intellectualibus naturis creatas fuiſſe, Propria,& uera opi. ſed a Deo quotidie cum generantur corpora creari, & quando dicimus creari a Deo, cum nobis conueniunt in aliqua parte, Plato. Xenoph. Parmenides. Meliſſus. Plato, Xenophanes, Parmenides, & Meliſſus, qui dixerunt rationalem animam eſſe partem mundi, & ab anima mundi prouenire, ſed hanc animam mundi dixerunt eſſe Deum,& non, vt alij, animã quandã a Deo diſtinctam. Plato hoc in Philebo, Phedro,&

Repub.

Repub. explicat. Nonne ĩtemplo Palladis inſcriptũ erat. Pallas eſt quicquid eſt, quicquid fuit, & quicquid erit. Quod dicit Plutarchus intellexiſſe de Deo, qui erat anima totius. Idem Orpheus dixit plenum mũdum eſſe Dijs. Idem Lucanus, Iuppiter eſt quodcunq; vides, quodcunq; mouetur. Conueniunt igitur cũ nobis in hoc, quod Deũ faciunt Authorem ipſius animæ. in alijs verò diſconueniunt, & a veritate diſcedunt; & quoniam credo iſtorum philoſophorum multos intentionem ſuam fabulis immiſcuiſſe, & ſub ænigmate loquutos fuiſſe, ideò ſuas intentiones non declarabimus, cum non ſint præſentis ſpeculationis, ſed tantum vt ita iacent, & ad literam intelliguntur, damnabimus, tanquàm veritati contrarias. Orphæus. Lucanus.

Incipientes igitur explicare particulas cauſæ efficientis, pro dilucidatione veritatis, atq; noſtræ intentionis dicemus, quod homo conſtat ex anima, & corpore. Mas enim & fœmina concurrunt ad formandum corpus, & illa virtus, quæ eſt in ſemine ſiue ſit animalis, ſiue cęleſtis, ſiue elementaris, aut mixtionis elementorũ, eſt virtus operans in corpore, nec educere poteſt formam, niſi formam totius corruptibilem. Vnde diſpoſito ſemine per virtutem quam habet in vltima diſpoſitione, vt poſsit eſſe corpus humanum illico corporum anima vniturnõ per compoſitionem, quoniam cum ea quæ per compoſitionem fiunt, tali modo conſtituuntur, vt partes componentes diſtinguantur loco, & ſubiecto. vt in ædificatione domus, in qua videmus partes domum componentes, ut ligna, & lapides eundem locum non poſsidere, nec idem ſubiectum, ſed diuerſum; cum ubi lapides ſint, non ſint ligna, nec ubi trabes ſunt, parietes exiſt. nt. Anima verò & corpus non ſic diſtinguantur, cum anima ſit in qualibet parte corporis, quod ex hoc apparet; nempe, quod in corpore animato nulla reperiatur corporis pars, quæ ſit inanimata, ſed in oĩbus, vel minimis corporis partibus anima muneribus ſuis fungatur. Sequitur igitur, animam cum corpore per compoſitionem vnitam nõ eſſe. Nec per mix

tionem vnitur, quoniam cum ea quæ miſcentur integras naturas ſuas poſsidere non poſsint, quemadmodum fit in compoſitione; ſed aliquo modo a ſuis naturis immutentur, immutati autem, ac remitti aliquantulum a proprijs ſuis naturis non ſit quarumcunq; ſubſtantiarum, ſed earum ſolum, quæ imperfectæ ſunt, ac mutabundæ inter ſubſtantiam, & accidens, anima autē perfectiſsima ſubſtantia ſit. Sequitur igitur, animam corpori per mixtionem vniri non poſſe. Neque per generationem vnitur anima corpori, quoniam quæ per generationem vniuntur, ſicut materiæ vnio cum forma ſi fiat reſolutio componentium; non ſicut in alijs duobus modis ſupradictis fit reſolutio componentium, quæ iterum actualiter exiſtunt ab inuicem ſeparata, ſicut erant antequàm ſimul coniungerentur: ſed neceſſario forma corrumpitur, & materia induit aliam formam; non ſic eſt in anima, quia poteſt ſeparari a corpore, ipſa remanente illæſa, & immortali. ergo cum nullo iſtorum modorum anima corpori vniatur, dicendum eſt, quod per creationem vnitur, quoniam creatur anima, a Deo ex nihilo, & in inſtante infunditur corpori, ita quod corpus, & anima ſimul, & ſemel in vno inſtanti conſtituunt hominem, & ambo producuntur corpus per generationem ab agente naturali, & anima per creationem ab agente ſupranaturali, & ſic dicitur ſemen producere animam, vt in eo reſidet virtus primi intellectus, & vt eſt inſtrumentum ſui principalis. Vnde quoad corpulentiam, eſt materia operis, quoad ſpiritum, & aeream ſubſtantiam, ſedes eſt intellectus, & virtus actiua. Et quamuis ipſum ſemen ſit imperfectum, tamen eſt inſtrumentum perfecti, & organum primi intellectus. & hoc pacto non eſt neceſſarium, quod generatio ſit ab vniuoco ſimpliciter, ſed in virtute cuiuſmodi eſt ſferma; eſt enim vniuocum genito, tum quia inſtrumentum eſt, tum quia ſedes eſt primi intellectus, in quo continentur omnes ſpecies, ac ideæ omnium formarum; & tale ſperma eſt vniforme in corporeitate, ſed

diuerſa-

diuerſarum uirtutum,& diſsimile, & informatum ab intellectu primo, qui reddit illud animatum, & multiforme. Et Deus agit in ipſum, infundendo animam per uoluntatem antiquam. Sic enim ab æterno intellexit agere pro inſtanti præſenti,& ſic præordinauit, ac præconcipit. Ideò dicebat Hugo de Sancto Victore lib. 1.c.50.Et ſi nouæ animæ quotidie creantur, nouas creaturas non facit. nam ab initio in mente diuina Angelorum præceſſerunt ideæ illarum. Et quamuis Deus immediate agat multa, non agit illa tantum, ſecundum potentiam ſuam, ſed ſecundum naturam recipientem; & quia natura animæ eſt ſic limitata, ideò ſic eam produxit,& in producendo media agunt diſpoſitiue, & organice ad quicquàm illius, & ut inſtrumenta diſponentia ad unionem animæ. Vnde ſic a Deo immediate creata habet in ſe potentiam uiuendi, ſentiendi, atque intelligendi, & eſſe ſuum ſtatim corpori infuſa homini communicat, ita quod informat ipſum, & ſic mouet anima omne corpus propria virtute, & omnia quæ ſunt in materia, ut diximus, ſicut inſtrumenta ipſius in uirtute intellectus mouentia. & ſic prima operatio animæ in corpore, eſt ipſum uiuere: ſecunda ipſum ſentire: tertia ipſum intelligere confuſum, quarta ipſum intelligere diſtinctum. & hoc eſt, quod uolebat dicere Ariſt. in lib. de generatione animal. cap. 3. & in lib. de animalibus cap. 10. quod potentiæ erant prius quàm actus, quoniam proculdubio in primo ſui ortus anima in corpore operatur ſecundum primaria inſtrumenta, & ſic gradatim, ſed prius uiuum eſt in materia, quàm ſenſibile, & prius ſenſibile quàm intelligibile, & ſic intelligibile confuſum quàm intelligibile determinatũ. nec uoluit Ariſt. quod illæ potentię ſint ex corpore. ſed quoniam non operantur, niſi procedente tempore, ideò poſuit hoc; & ipſas conſiderauit formaliter, non cauſaliter. quoniam quæ non operantur, ſunt cauſaliter in ipſa anima, & habent aptitudinem operandi, cum inſtrumentis non impeditis, proprijs atque aptis applicentur. Similiter quando

Ariſt.2.de Anima 32.ait Denique autem, & poſtremum ratiocinationem,|& intelligentiam,non intelligit illud, quod Themiſtius cap. 12. ait vſque dum ad poſtremam, & nobiliſsimam aſcendamus eſt rationalis, quæ quamq̃ vltima ortu eſt, tamen dignitate, & poteſtate cognoſcitur princeps illuc progreſſa natura mortalis, receptui canit, nec procedit vltra. Dico, quod Ar. in tex. 27. incipit tractare de potentijs animæ, vt demonſtrare poſsit diuerſas eſſe ſpecies animæ, & procedens a notioribus nobis, vt moris eſt optimi methodiſtæ, poſtquàm de vegetatiua, & ſenſitiua verba fecit, dicit, poſtremum potentiarum eſſe rationem, & intelligentiam, quoniam in primo ſui ortus non vtitur homo ratione, niſi procedente ætate, & ſic eſt vltima,& poſtrema cognitu,& non vt Themiſt.ex mixtione elementorum producta,& ſic anima dicitur vltima ortu reſpectu vegetabilis,& ſenſibilis, nõ reſpectu agentis naturalis: quoniam a Diuino procreatur, cum potentia vegetandi,ſentiendi, & intelligendi; & cũ debebat anima eſſe mediæ naturæ, ideò creauit ipſam unibilem corpori, & in eſſe incompleto, non quoad eſſentiam ſuam, ſed quoad operationem, qua uti debebat in corpore,cum de ſui natura ſit poſſe,& ſenſibilia cognoſcere,& intelligibilia contemplari.quod ſine utroque facere non poterat.ideò cum corpore ſimul creatur,& hãc creationem Ariſt.cognouit, cum dixit 2.phiſ. Sol, & homo generat hominem. homo quoad diſpoſitiones quantitatiuas,& qualitatiuas,& Sol.i.Deus quoad aĩam informantem quod homo diſpoſuit; qui Deus non deficit unquàm in neceſſarijs, nec in ſuperfluis abundat, complẽs opus, quod natura ex ſe incepit, cum a nullo poſsit compleri occurrit ſpiritum uitæ incorpore ſpirans, ac procreans.Vnde non bene Auer.expoſuit illa uerba Ariſ.dicens, quod quando Ariſt. dicit homo, & ſol generat hominem, quod uult oſtendere, quod naturalis debet pertingere uſque ad formam hominis, quæ eſt ultima forma. & cum ſit forma ultima, ergo de ſemine materiæ

pro ducta,

producta, quoniam hæc non eſt intentio Ariſt. nec ualet cõſequentia. Quoniam quamuis naturalis ueniat uſque ad ultimam formam, quoad operationem naturalem, quę ab illa forma producitur, non propter hoc, quoad eſſe, cũ illud eſſe non a naturali producatur, ſed ſupranaturali; & ſic naturalis conſiderat animam, inquantum operatur cum corpore, & non ultra ſe extendit, ut in nouo ueritatis lumine ſatis ſufficienter demonſtrauimus. Præterea oſtendo, hanc fuiſſe opinionem Ariſt. Nam ſecundo de generatione anim. cap. 3. ait, quod mens ab extrinſeco aduenit. cum ergo ab extrinſeco adueniat, & non poſsit eſſe ante corpus, cum det eſſe corpori, non educitur de potentia materiæ, cũ ſit immortalis, ergo creatur a Deo. Reiicitur Toletus. Et quando Franciſcus Toletus dicit, quod ibi Ariſt. ſi aliquid cõcludit, potius eſt pro Platone, & Pythagora, quod animæ rationales præceſſerint corpora, hoc enim uidetur dicere. Dico, quod loquitur de creatione, ſcilicet, quod anima deforis aduenit, ideſt creatur, & non educitur de porentia materiæ. Et quando dicit idem Toletus ſecundo de anima quæſt. 2. quod quia 12. met. tex. 17. dicit Ariſt. Impoſsibile eſſe mentem antecedere, quod credendum eſt in ſecundo de generatione animalium, loquutum fuiſſe ſecundum morem Platonis, cum illæ multorum ſententias expreſſerit, & dicit hæc mea ſolutio mihi ſatisfacit. Præterea dicit, quod illa loca nõ contradicunt, ſed cum dicitur intellectus de foris uenire, nõ ſequitur, quod ſit ante corpus ipſa anima, ſed loquitur de intellectu in habitu. Præterea dicit, quod non educitur de potentia materiæ, ſicut cœteræ formæ. quod ſi dicas, ergo iam aduenit creato, ſecundum Ariſto. neganda eſt conſequentia; ecce quomodo Toletus propter ignorantiam Reiicitur Toletus. creationis, ſecundum Ariſt. dedit primas expoſitiones falſas, & extra propoſitum, & ecce quomodo negat creationem ſecundum Ariſto. ſine aliqua diſtinctione, dicens, quod Ariſto. fortè animas rationales credit ab vniuerſalibus agentibus ſimul cum proximis cauſis produci. ecce

quo-

quomodo dixit, *forte*, *& credit*, ita quod dubitatiuè de Ariſt. loquitur, & vltimò fatetur dicens, quod quamuis Ariſt. creationem non cognouerit, nec expreſſerit, tamen ex eius doctrinæ principijs optimè probatur, & ſic modo huc, modo illuc cum infinitis ſolutionibus circa vnam rem uagatur, & dicit etiam, ſi cognouerit, forſan tacuit; dico, quod rationabiliter loquutus eſt, ideo de ipſa non oportebat loqui, niſi in habitu intellectuali. Nonnè idem Ariſto. 1. de Anima. tex. 64. dicit. Intellectus autem aduenire videtur, & ſubſtantia quædam eſſe &c. quid aliud eſt aduenire niſi deforis venire? & quid deforis venire pōt, niſi quod creatur? alius textus habet, *innaſci*, ſed malè interprætatus fuit, multi enim propter ignorantiam literarum græcarum, uel propter incapacitatem rei, de qua tractant aut hores Græci, diuerſimode interpretantur libros ſuos, Quæ verò vult aliquem aut horem interprætari, debet non ſolum eſſe in illa lingua peritiſsimus, ſed etiam in illa re, de qua tractat author ipſe. Præterea nō nè Ariſt. 1. de anima tex. 82. appellat intellectum antiquiſsimum, & dominum? ſed quid eſt hæc antiquitas, niſi reſeruatio animæ rationalis ab æterno in mente diuina? quid eſſe dominum, niſi quia creatur ab ipſo anima domina ipſius corporis, quando ipſi infunditur, atq; ſuuitur? Amplius idem Ariſt. dicit Deus eſt a quo cœlum, & tota natura depēdet. ergo anima dependet a Deo, ſed anima eſt immortalis, ergo ut immortalis dependet a Deo, ſed ante corpus non erat, ergo creatur dum corpori infunditur, nec eſt dicendum vt philoſophaſtri neſcientes intellectualia apprehendere, & quæ circa ſenſum vagantur relinquere, quod iſta dependentia intelligitur ratione æternitatis, & quod anima dependet a Deo tanquàm quid abęterno creatū. Dico ſecundum mea veriora principia, atque infallibilia quod anima dependet a Deo, tanquā quid de nouo creatum, cum ſit dans eſſe corpori, & ante corpus eſſe nō poſſit; ſed vt altius conſcendamus, & veritatem illam de æternitate, & creatione manifeſtemus, breui ſermone, & quantum

Ariſt. 1. de aia tex. 64 qđ anima creatur.

Ariſt. 1. de anima 82. quod anima creat.

Alia auctoritas Ar.

tum

tum huic propoſito commouerit, quam diffuſus in libro noſtro de creatione mundi tractauimus, dico, quod generatio a ſenſu percipitur, æternitas a ratione, & creatio ab intellectu, & ſicut generatio eſt explicatio æternitatis, æternitas eſt explicatio creationis, & creatio potentiæ diuinæ abſolutæ. Et quoniam Ariſtotel. per rationem philoſophatus eſt, vt per notiora nobis ad maiora nos trahere poſſet; ideo dixit mundum eſſe æternum: quoniam non potuit demonſtrare rationabiliter cauſas incognitas creationes, quas intellectum cognoſcere atque comprehendere non negat. & certè, quod ut rationalis optimè philoſophatus eſt. quoniã vlterius per diſcurſum progredi non poteſt. quæ ſua ſcientia eſt imperfecta, non quoad rationem, ſed reſpectu intellectus. & quia etiã poteſt eſſe vera, & falſa, cum ratio non comprehendat ſimplicia, & indiuiſibilia, ſed affirmationem, quæ poteſt eſſe vera, & falſa. Qui verò ſecundum intellectũm philoſophati fuere, dixerunt mundum creatum fuiſſe, & cognouerunt ſolò lumine naturali hanc creationem, ſed imperfectè, ut Ariſto. ibi, cum dicit. Deus eſt, a quo cœlum, & tota natura dependet, fatetur creationem mundi intellectualiter. Theologi noſtri lumine diuino afflati, veritatẽ perfectè cognouerunt, atque ſcripſerunt. Ideò, ut ad propoſitum redeamus, ſi anima dependet à Deo, ergo creatur ab ipſo. quæ creatio ab intellectu percipitur, quamuis a ratione reprobatur. quoniam ratio priuata eſt cauſis intrinſecis rerum, & apprehendit non verum, ſed veriſimile, quod poteſt eſſe uerum, & falſum. Nonnè hoc mirum videtur, quod ratio nũquam poterit cognoſcere motum niſi a quiete ſeparatum, & tamẽ intellectus cognoſcit coincidentiam motus, & quietis? Ratio non cognoſcit contradictoria poſſe ſimul eſſe vera, & tamen intellectus cognoſcit hoc. Habet autem ſe intellectus ad Deum, ſicut quod dicitur denominatiuè, & propriè verum, & bonum & pulchrum ad ipſam abſtractam, & abſolutam vnitatem bonitatem & pulchritudinem. Ratio autem ſe habet ad

intel-

intellectum,ut veriſimile ad verum, boniſimile ad bonū, & ita de alijs. Senſus autem, & quæ deinceps ſunt neque vere,neque veriſimiliter.neque boni, neque boniſimiliter participant veritatem, ac bonitatem, ſed confuſè, & modo adeò imperfecto, ut neque vera, neque bona dici poſſent, ſed conditionib. materialibus magis obſcurata. hæc ſint pro exemplo propoſitæ meæ veritatis. Ideò Ariſt. multis in locis ubi rationabiliter loquitur pro veritate concluſionis,& ſermonis ſui intellectualiter,quædam diuina nobis manifeſtat, atque proponit, ſicut in prædictis omnibus locis ſuperius allegatis fecit. Rectè igitur dicimus,& philoſophicè animam a Deo creari, & immediate eſſe. Nam Deus ipſe,ut ait Alcinous,& Maximus Tirius Platonicus,eſt omnium rerum auctor,factor,& conſeruator:& Algazel dicit,quod Deus eſt dator animæ. & Cicero ait,animus eſt rationis compos,& particeps, quo nihil ab optimo & ſupremo genitore melius eſt procreatum.

Alcinous, Maximus Tirius. Algazel. Cicero. Auerr.

Præterea Auer.in tract.4.par.met.& alibi ſæpe ait. Supra primum motorem eſſe primum principium, ad quod omnia finiunt, & a quo ſunt creata, & ſuſtinentur. ſed ſic argumentor. Anima eſt immortalis,ergo non generatur, ergo a primo principio ſupra motorem,ergo creata ab eo ſcilicet Deo cum ab ipſo omnia creata ſint.Nec alicui mirum eſſe debet,Deum animas ex nihilo poſſe creare. quoniam ſicut eſt eſſe omnis eſſe,ita eſt poſſe omnis poſſe; ita quod poſſe facere,poſſe fieri,& poſſe coniungi,ſunt modi & contractiones ipſius poſſe abſoluti; ita quod cum ſit ipſe abſolutus eſt ante hæc omnia,& in ipſo hæc ſunt unum & idem,ideò poteſt ſine his facere omnia. & ſic ante animam nō eſt materia aliqua,quia dei actio una eſt,& Deus eſt,ſimplex abſoluta,& infinita, ergo non indiget aliquo, & ſic apud Deum idem eſſe,poſſe eſſe,velle,facereq́ue, ergo ſi vult creare animas, ergo creat, quia uelle, & facere idem apud Deum.Nonnè Auer.diſp.3. ait. Actio, uoluntas,potentia,& ſapientia Dei ſunt æqualia omnino? & ſic concludemus,ſolum Deum animas creare, & non intelligentias.

Argu. pro creatione animæ.

Auer. pro creatione animæ.

gentias. quoniam, ſicut ait Albe. in lib. de homine, creare principaliter eſt honor Dei, & hoc ſemper Deo competit, nec alicui intelligentiæ communicatur. Nonnè creare eſt opus cauſæ, quæ eſt cauſa cauſæ, & non cauſæ cauſatæ? Nonnè intelligentia eſt terminus creationis? ergo non erit creator. nec eſt dicendum, ut Toletanus, quod verum eſt, quod non principaliter creant intelligentiæ, ſed inſtrumentaliter, & inſtrumentaliter creare poteſt creaturæ cō petere, nec hoc a Deo auferre honorem. Quoniam ſi intelligentia ex nihilo creat, uel authoritate propria, uel ut inſtrumentum primi, non authoritate propria omnes philoſophi concedunt, quicquid Auic dicat, non ut inſtrumentum; quoniam agens inferius ſupponit effectum ſuperioris agentis, ut exemplo patet. quoniam ars ſupponit effectum naturæ, natura effectum primæ cauſæ, ſcilicet eſſe ſaltem materiæ. ſed primus effectus Dei eſt eſſe, ergo omnis cauſa ſecunda, quomodocunque ſupponit eſſe, & ſic non poteſt creare, nec per ſe, nec inſtrumentaliter, ergo a Deo creabuntur animæ. Ideò bene Auguſtinus ait, quod Angeli nullo modo cenſendi ſunt creatores alicuius rei, & dicit nullo modo, ideſt nec principaliter, nec inſtrumentaliter: quod etiam Damaſcenus affirmat in ſecū do quam opinionem ſequutus eſt M. F. lib. 3. de Theolog. Plat. dicens Plotinus, Proclus, & nonnulli Platonicorum dicunt ab Angelo animam fieri. ſed Dyoniſ. Origenes, Auguſt. Excellētiſsimi Platonici dicunt a Deo, & verum eſt. Et certè anima non eſt ab Angelis producta. nam aut creatione, aut ex potentia materiæ produceretur. nō creatione, quia nihil facit ex nihilo niſi Deus. non ex materia, quia Angelus produceret ex materia animam, uel ut cauſa vniuerſalis, uel ut particularis. ſi ut uniuerſalis, tunc nō immediatè, ſed concurrente ſeminis uirtute. ſi ut particularis, tunc ſimiliter in ſpecie oportebat produci, ergo non ab Angelo, ſed a Deo. Nonnè etiam hebræi, ut affirmat. Picus, dicunt animam humanam a Deo, brutorum a ſylua & idem Calcidius in Tymæum. Hominis anima rōnalis

Alb. ꝙ aīa a deo tātū creatur.

Reiicitur Franc. Toletus ꝙ intelligētiæ creant inſtrumentaliter.

Aug. in cō firmationem.

Idem Damaſcenus.

Rō ꝙ aīa nō ab angelo creetur.

Idem Hæbrei ſcd'm opinionē Pici.

Calcideus

a Deo

a Deo data. Vnde concludendum eſt, quod Deus principaliter creat, quia oportet vniuerſaliſsimũ effectũ in vniuerſaliſsimam cauſam reducere. ſed eſſe eſt vniuerſaliſsimus effectus, ergo proprius vniuerſaliſsimæ cauſæ, quæ eſt Deus. Præterea, ſicut ait Alb. in lib. de intellectu, & intelligibili, ſi anima rationalis ab intelligẽtia flueret, ergo ipſi ſubdita eſſet in omnibus ſuis operationibus, actionibus, atque motibus, & ſic motibus aſtrorum. Nec eſt dicendũ, quod intelligentia cauſat animam rationalem, non per modum naturæ, ſed per viam intellectus, & ſic non eſt ſubdita; quia cum anima ſit finita, ergo ab infinito prouenit. quia cum non ſit Deus, ergo ab eo, & poſt eum, & fluxus ab eo. Quid eſt enim creatio, niſi nouitas eſſentiæ ab alio procedentis? Cum igitur anima ſit, & ex ſe non ſit, eſt creata, & noua, & nouiter procedens. quoad eſſe ſuum a Deo. Nonnè etiam diuus Plato in Tymeo deſcribit per modũ hyſtoriæ formationem animæ immortalis, Deo immediate attribuens, corporis verò humani opificium Dijs? Ideò Auer. 12. met. 44. ait. Obſcura Platonis verba, quæ enuntiant Deum creaſſe Angelos, deinde præcepiſſe eis creare mortalia, & ipſum requiſeuiſſe non eſt intelligendum ad literam, & fortè exiſtimare hoc in Deo fuit cauſa ſabbati poſiti in lege filiorum Iſrael.

Rõ alberti q̄ aīa a Deo & nõ angelo creatur. Reſponſio obiecti.

Plato in Timæo.

Poſtquam authoritatibus, rationibus certis, & veris, & ſecundum quod intellectus noſter capere poteſt, demonſtrauimus, & explicauimus ipſam animam a Deo creari, & non ab alia cauſa; nunc declarabimus quomodo non ex ſemine propagatur, ſed creatur. Auer. enim diſp. tertia ait. Diminutio comprehenſionum in intellectu, aut eſt ex ipſo intellectu: quia, vt intellectus non eſt aptus, id comprehendere, aliqua eſt ſecundum naturam aliquorum hominum, & hæc aut eſt in radice creationis, aut propter impedimẽtum aliquod exterius: ſed ſcientia prophetiæ ſupplet hæc omnia. Auer. denotat hic, quod anima creatur, cum dicit in radice creationis. quoniam cum creantur animæ diuerſæ, iam diuerſimode comprehendere debent, & ſic

Qđ aīa nõ ex ſemine ꝓpagatur. Auer. diſp 3.

& ſic diminutio comprehenſionis eſt,vel quoniam creantur ſic,vel quia habent aliquod impedimentum exterius. & quamuis Ariſto. 8. phiſi.a tex.6. vſque ad text. 13.velit, quod ab agente æterno,qualis eſt Deus,& a uoluntate antiqua non poſsit prouenire effectus nouus, ſine mutatione agentis æterni, dico, quod non eſt inconueniens effectum incõpletũ de nouo a Deo produci, bene effectum completum, & de hoc loquitur.philoſ. Vnde anima cum ſit effectus incompletus ſine mutatione agentis producitur de nouo,& requitit nouum ſuſceptiuum, quod quidẽ producitur a cauſis ſecundis, puta a cœlo, & particulari agente naturali: vt, quando generatur corpus ſuſceptiuum animæ. Reſponſio obiecti Ariſt.

Et quando dicitur ab agente æterno,& immobili, nihil prouenit,niſi mediante motu æterno. verum eſt, quãtum ad effectus corporeos,& formas materiales, quæ mediante cœlo concurrente producuntur de potentia materiæ; non tenet reſpectu animæ, quoniam anima ſeparata cum ſit abſoluta a phantaſmate,non eſt neceſſe,quod perficiatur ab agente æterno,quoad intellectum,& intellectionẽ, mediante motu cœli, ſed poteſt immediatè recipere ſpecies intelligibiles,ſicut recipit eſſe ab agente primo, nec tenet reſpectu ſpecierum intelligibilium,& conceptus intellectus, & actus intelligendi, eo quod intellectus non ſubijcitur motui cœleſti, niſi pro quanto ad actum intelligendi concurrunt phantaſmata,dum anima eſt unita corpori,& cum ipſo cointelligit.Nec etiam valet,quod dicit Scotus per authoritatem Ariſto.primo cœli tex. 126. & vltra.qui ait, quod omne genitum eſt corruptibile, & ingenitum incorruptibile:ſed ſi anima eſt forma dans eſſe homini, ergo genita,quia incœpit eſſe; immo non fuit ante illud,cuius eſt forma per Ariſto. 12.met. 16.ergo non creata,ſed genita cum corpore. Dico, quod anima eſt creata, ideò non ſequitur dat eſſe,ergo genita,quia incœpit eſſe: quia hoc uerum eſt in entibus habẽtibus contrarium, ſed in entibus non habentibus contrarium, cum ſint æterna, Reſoluit rõ Scoti.

non generantur, neque educuntur de potentia materiæ: ſed incipiunt eſſe per creationem, quoniam creantur; & cum creata ſint, incipiunt eſſe. anima autem eſt ſic, & ideo non generatur, ſed creatur. Et quamuis homo generet ſibi ſimilem in ſpecie, hoc non facit, quia rationalis anima ſit immediatum principium in generatione humana: ſed quia vis generatiua, & ea quæ in ſemine agunt, non diſponerent materiam, ut fiat corpus dignum anima rationali, niſi quatenus agunt, vt inſtrumenta animæ rationalis. & hoc modo generatio hominis eſt ex homine. & quando dicunt omne agens naturale ſibi ſimile in ſpecie per ſuam formam ſpecificam, & vltimam agit compoſitum, & formam illius tanquam terminum, quo primo, & per ſe fuit illa generatio; intelligendum eſt ubi principale agens, & inſtrumentale ſunt eiuſdem generis phiſici. Et aſsimilatio filiorum non eſt, quia anima ſit ab anima: ſed quia diſpoſitiones, quibus anima illa vnitur materiæ, & quibus operatur, ſunt a patre, & matre, & inde fuit aſsimilatio, & quod animam, & quoad corpus. Vnde quod homo diſponit, & Deus complet, ita quod homo ſubordinatur Deo, & ſic fit vnum, & eſſe hominis dependet ab eſſe Dei, & in idem occurrunt. Et quamuis Ariſto. in fine quarti met. dicat perfectum eſt, quod generat quale ipſum eſt ſecundũ formam, & materiam: quod etiam in ſecundo de Anima inquit, opus naturaliſsimum viuentium eſt generare tale quale ipſum; ſed homo eſt perfectus, immo in confinio æternitatis, & temporis: ideò multo magis poteſt generare hominem, & ſecundum formam, & materiam, quàm quodcunque aliud agentium.

Vnde proueniat aſſimilatio filiorum.

Dico, quod uniuerſaliter eſt verum id eſſe perfectum, quod ſibi ſimile generare poteſt uel in ſpecie, uel diſpoſitiuè. & ſic vera eſt illa propoſitio, quando inſtrumentum, & principale agens unius ſunt generis phiſici, & ſic loquitur Ariſto. Et ſi quis diceret, ſi anima extrinſecus aduenit per creationem & non de potentia materiæ, ergo non habet habitudinem ad materiam, ergo non definitur eſſentialiter

Obiectio

tialiter

tialiter per corpus phiſicum, quod eſt contra Ariſto. in 7. met. vbi docet animam, & accidentia, & reliquas formas definiri per ſubiectum dico, quod quãuis nõ educatur de potentia materiæ, & producatur a primo agente: tamen non producitur niſi cũ corpore, quod habet viuificare. & cũ ipſa habeat eſſe cõpletum in corpore, per ipſum quidditatiue, neceſſariũ eſt, quod definiatur, licet eſſe ſuũ non ſeruetur ex corpore, ſicut eſſe animarũ irrationaliũ, quarum nulla operatio expletur ſine corpore. Et quando dicitur, homo eſt vniuocè animal cum omnib. alijs, ergo idẽ eſt ipſius, & aliorũ productionis modus, dico, quod quantum ad generationẽ compoſiti, non eſt differentia inter hominẽ, & alia animalia. homo enim hominem, equus equum, & hoc ſufficit ad vnitatẽ genericam. diſcrimen tamen eſt, quoad eſſentiam animæ ob ipſius perfectionem. & ſic homo eſt cauſa hominis, nõ quod formã faciat. hoc enim peraccidens eſt in generatione. ſed quod compoſitum: & ſic cauſa inducens vltimam diſpoſitionẽ, eſt cauſa introductionis formæ, & hoc ſemper eſt verum, etiã in anima rationali, & ſic in eodem inſtanti temporis anima producitur a Deo & vnitur corpori, ideò cum anima ſit media ideò a Deo creari põt, & ab agente naturali corporeo produci non poteſt. Et quãdo Auer. ſeptimo com. 31. ait, quod omne agens potens inducere vltimum gradum diſpoſitionum, ac omnia media in aliquem finem, poteſt etiam finem producere. Dico, quod bene agens inducit diſpoſitionem vltimam: non tamen animam, quoniam nõ habet reſpectum ad ſuam actionem, ſed requirit aliud agens; ideò quod dat antecedens dat omnia conſequentia, idest quando conſequentia neceſſariò proueniunt à dante, ſic agens finem producit, ſi finis ille habet reſpectũ ad agentem, & neceſſario ab illo dependet. ſed rationalis anima eſt ſupra materiam, ergo ab agente naturali, non poteſt produci. nec propter hoc dicendum eſt, quod non ſit generatio vera, & homo per Ariſto. ſecundo phiſ. generatione vera generatur, quoniam dico, quod homo accepit

Reſponſio. Obiectio. Reſponſio. Obiectio. Auer. 7. met. cõm. 31. Reſponſio Obiectio. Reſponſio

pit eſſe per generationem, quoad complementum, quia vnitur materiæ ſtatim quod generatur corpus: non autẽ quoad eſſentiam, quia nõ educitur de materia, neque de ſemine, ſed creatur, & ſic propoſitio illa, quæ dicit, quod omne genitum, cuius forma per generationem non accipit eſſe, ſcilicet vel eſſe completum, vel eſſentiale; non generatur verè. ſic enim intelligitur; & quamuis anima intendatur ab homine, nõ ſequitur, quod ab eo generetur, ſufficit, quod fiat etiam ab aliquo, quod eſt forma ſuæ virtutis, ſicut a Deo, qui eſt forma, ſicut ars eſt forma ſecuris. Et quando Ariſt. 12. met. vult, quod ſperma ſolum virtute propria non ſufficit eſſe inſtrumentum, ideò debet eſſe homo generans, hoc intelligit, quod non ſit tanquã agens principaliter, ſed tanquam dans inſtrumẽtũ. Quid iam dicent illi, qui tenent animam ex ſemine propagari? Nonnè omnia in contrarium perfectè reſoluta ſunt, & veritatem manifeſtauimus? Quod ſi vlterius procedere volunt dicentes. Vnio rationalis animæ eſt naturalis, ſeparatio violentia, ergò ab agente naturali producitur.

Obiectio. Reſponſio. Obiectio. Ariſto. 12. met. Reſponſio.

Dico, quod ſeparatio eſt violenta, ratione operationis: quoniam immerſa eſt anima ſenſui, nõ autem ratione eſſentiæ, & quamuis agens phiſicum priuat ſimpliciter intelligere, quod eſt propria operatio animæ rõnalis, vt patet in Ebrijs, & ægris: non propter hoc priuat aptitudinẽ ad illam, nec fortè habitum, quamuis priuat operationẽ. Et ſi aliquis dicet, motus hominis, uel mutatio omnibus alijs animalibus eſt perfectior, ergo generatio requirit terminum perfectiorem, ſed talis erit anima rationalis, & ſic ex generatione veniet anima. Dico, quod generatio hominis requirit extrinſece terminum perfectiorem, & altiorem alijs animalibus, quæ intrinſece requirunt. Et quamuis homo excedat alia animalia per rationalem animam, & quod rationalis anima ſit a propria virtute hominis, non propter hoc ab ipſo generatur: quoniam rationalis anima, vt diximus, eſt a propria virtute diſpoſitiue, vel vt inſtrumentum coniunctum primo motori illius.

Obiectio. Reſponſio. Obiectio. Reſponſio. Obiectio. Reſponſio. Obiectio.

ri illius . Et ſi dicent adhuc, ſi rationalis anima non eſſet propagata ex ſemine hominis, tunc vermis magis eſſet filius hominis, quàm homo, cum ex ſuperfluo alimenti generetur, & quoad animam, & quoad corpus. Dico, quod ex putrefactione generatur, vt ait Ariſto. & ſi aduerſarijs, non ſufficiant rationes philoſophorum, perſeuerant cum Theologis, & dicunt, Salomon Rex ſapientiſsimus non nè dixit, vnus eſt interitus hominum, & iumentorum? omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta ſunt, & in terram reuertuntur ? Dico, quod Salomon loquitur in forma ſtulti; & quando Moſes dixit, cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Aegyptum, & egreſſæ ſunt de fœmore illius abſque vxoribus filiornm 66. accipit Moſes ſicut Plato antmas pro hominibus, ſic etiam Ariſto. 9. eth. Et quando etiam dicit animas carnis in ſanguine, hoc dicitur ratione inſtrumentorum; ſicut dicitur ſenſitiuam eſſe ĩ intellectiua, & intellectiuam in ſenſitiua. Quid amplius dicent Epicurei? non ne vident iſti, quod poſitio ſua reddit hominem beſtiam, ac ſimilem, ut bene dixit Salomon iumẽto, & deſtruit omnes leges, ac totam philoſophiam: quoniam negant proprium finem hominis. Vnde relictis erroribus ſuis bonis, ac veris philoſophis contrariantibus, dicemus animam a Deo creari, quoniam cum ſit æterna, ab aliquo generante produci non poteſt, cum æternum niſi ab æterno proueniat, ergo a creante; ſed probauimus ſolum Deum eſſe creatorem, ergo a ſolo Deo immediatè creabitur. Vnde nõ bene Sueſſanus dixit, quod non poteſt demonſtrari creatio animæ, quoniam eſt meritum fidei. ſed id perſuadere poſſumus. dico, quod non poteſt demonſtrari illis, qui intellectum conſcendere neſciunt, ideò apud ipſos meritum fidei eſt credere, ſed hominibus intellectualibus facile demonſtrare hoc poſſumus, ut iam per multas rationes, & authoritates hanc veritatem comprobantes fecimus. Non nè ſuperius diximus, quod anima rationalis eſt per ſe exiſtens, ac natura ens ratione compoſiti, ut diuerſus modus agendi id no

Reſponſio

Obiectio Salomon

Reſponſio

Obiectio Moſes.

Reſponſio

Reiicitur Sueſſanus.

bis declarat?ergo non ex ſemine. Nec valet dicere, quod verum eſt de anima vniuerſali, non autem cogitatiua, & ego dico, quod cogitatiua eſt ote ntia, quæ prouenit ab anima. & ideò nec ipſa eſt pars compoſiti, niſi formaliter inquantum operatur. & ſic non ex ſemine.

Præterea anima rationalis eſt incorporea, & ſpiritualis. ut ſenſu conſtat, ergo non eſt in ſemine, neque ex ſemine. Amplius, nonne intellectiuum eſt ſupra materiam? non ergo ab agente in materia produci poteſt. Nonnè etiam anima eſt indiuiſibilis, & immortalis? ergo impoſsibile eſt animam produci actione phiſica, quoniam omnis forma producta actione phiſica, eſt diuiſibilis. Item quæ a virtute ſeminali producuntur, non poſſunt habere eſſe per ſe niſi in compoſito, ergo anima non eſſet extra compoſitũ, & ſic mortalis, & non immortalis, contra determinata. Anima igitur rationalis a ſolo Deo producta eſt per creationem. & nota, quod Deus non ſic ipſam producit, ſicut reliquas formas. reliquas verò producit concurrendo cũ cauſis ſecundis. at animam rationalem ſolus ipſe facit, nec vtitur actione cauſæ particularis. Vnde ſicut Deus ſolus Angelũ creat, ſic & animam. & ſicut illam creat in corpore, ita eadem actione poſset extra corpus creare, & producere.

Præterea, quod fit uel ex materia, vel ex nihilo fit; anima non habet materiã contrarietati ſubiectam, ergo non fit ex materia. Vnde reſtat, quod exeat in eſſe per creationem ex nihilo. Dicant igitur quicquid uelint Auerroiſtæ, quoniam contra ipſos ſunt multæ rationes, & authoritates. Nam homo, qui habet cogitatiuam, uel per ipſam eſt completus in ſpecie, uel non. ſi completus, ergo intellectus ſeparatus, quem dicunt ponere Auerroem ſuperfluè ueniret, & per accidens, cum iam habeat per cogitatiuam omnem perfectionem ſibi ſimilem per ſuam formam. ſi non eſt completus per cogitatiuam in ſpecie, ergo ab intellectu complebitur, & ſic erit homo per illum intellectũ ſeparatum. ſed cum vna forma non poſsit eſſe plurium, æ-

quæ

quæ primò, ergo rationalis anima erit multiplicata per corpora,& non traducta ex ſemine. Preterea nonnè Auer. 20.c.de ſubſtantia orbis,& 2.cœli comm. 3. ait, quod nulla anima, quæ impura eſt anima per commiſtionem materiæ circulariter operatur? Modo ſtantibus his, dico, quod anima tam vniuerſaliter, quàm particulariter diſcurrendo, circulariter operatur, ergo non ex ſemine deducitur. Inſuper anima rationalis tam vniuerſaliter, quàm particulariter liberè, & contingenter comparatur ad ſuos actus, ergo non ex ſemine; quoniam non impreſſa eſt materiæ, ſed domina actuum; quod ſi non eſſet libera, non dominaretur. Nonnè per ratiocinationem particularem eligo præſentata mihi paupere dare ei eleemoſinam, & non dare? Et ſic concludendum eſt, quod anima nullo pacto ex ſemine procreatur, & per conſequens non ab agente naturali. & ſi non ab agente naturali, ergo ſupranaturali. non ab intelligentijs, & anima mundi, ergo a Deo; & ſi a Deo non per generationē, non per productionem, ſed per creationem, cum ſit abſolutum eſſe, poſſe, facere, & velle, ut diximus.

Poſtquam igitur particulas cauſæ agentis ſatis exactè, & ſecundum ſubiectam materiam, atque intellectus noſtri capacitatem explicauimus, ad conſequentiam calamum conuertemus, oſtendentes, quod De inſtātanea ipſius aīæ cum generatione corpis infuſione.

Anima rationalis, quando generatur corpus, illico, & immediatè ipſi corpori infunditur.

Et opiniones illorum, qui dixerunt eſſe ante corpus, uel poſt corpus, noſtris rationibus, argumentis, authoritatibus atque demonſtrationibus conuincemus. & talis opinio noſtra non eſt noua, ſed rectè philoſophantium. Nam Hieronymus inquit, cōdemnamus errorem illorum, qui Hier.

dicunt animas ante peccaſſe, uel in cœlis conuerſatas fuiſſe, quàm in corpore immiſcerentur.

Gre. Nic. Præterea Gregorius Nicenus inquit, aſſertio vtriuſque opinionis vituperatione non caret, & eorum qui prius animas viuere in quodam ſuo ſtatu, atque ordine fabulantur, & eorum, qui poſt corpus creatas exiſtimant.

Ar. 12. met. Præterea quod aĩa non ſit ante corpus, nec poſt habemus, Ariſtotilem 12. Met. qui dans differentias inter agentes, & formales cauſas, inquit. Mouentes quidem igitur cauſæ velut prius factæ exiſtentes, quę autem ut ratio ideſt; vt forma ſimul ſupple factæ ſunt cum ſubiectis, ergo ſi omnis forma eſt cum ſubiecto, ergo ſimul cum corpore erit anima. Idem in lib. de cauſa motuum animalium ait, exiſtimandum autem conſtare animal, quemadmodum ciuitatem bene legibus rectam; ergo quemadmodum Rex, ac Monarca ſimul ſunt cum Regno, & Ciuitate, ſic expedit, & rationalem animã ſimul eſſe cum proprio Regno, ac ciuitate ſcilicet corpore.

Ar. l. de cã motuũ ani.

Alia rõ Præterea peripatetici non ponunt motorem cęleſtem priorem cælo, nec econtra, vt Auer. teſtatur in tertio de Anima, in digreſsione magna. Sed anima rationalis, & corpus animale humanum, ſunt ſicut motor, & mobile adæquatum, vt etiã Platonici confitentur, ergo rationalis anima non prius animali humano eſſe debet.

Alia rõ Præterea, non nè anima rationalis eſt actus corporis? non nè vnuſquiſque actus in propria materia ac perfectibili natus eſt fieri? ergo eſt in propria materia rationalis anima habet fieri. Quomodo quæſo dabit eſſe corpori, ſi erit ante vel poſt, cum ad corpus eſſenſificandum apta nata ſit? ergo ſimul cum corpore debet creari, & quoniam non ineſt indifferenter omni corpori, ſed proprio, ideò non eſt prior origine ipſo, quoniam nulla perfectio alicuius, quæ eſt proprius finis illius, prior eſſe debet illo, quod Auer. etiam aſſerit in ſecundò de Anima com. 22. Sed rationalis anima eſt perfectio, ac finis corporis phyſici, ergo nec eſſe, nec fieri debet prius corpore. Diffinitio autem animæ probat eſſe actum corporis, quoniam

niam eſt cōmunis omnibus animabus, etiam rationale? quoniam Ariſt.repræhenditillos, qui tantum de humana intelligebant, vbi Themiſt. in principio ſecundi de Anima ait. Ariſt.velle dare diffinitionem animæ, quæ ambitu ſuo omnes contineat, ſed quia de hac deffinitione ſatis in noſtro veritatis nouo lumine loquuti fuimus, iō hęc erunt ſatis. In ſuper anima, & corpus nonne ſunt ad aliqd? ergo ſunt ſimul, ſicut ſol oritur nobis, & dies eſt, & anima non alio dr̄ aīa niſi quia corpus, corpus aīa, & ſol, niſi quia illuſtrat, ergo nō prius corpore eſſe debet. Et quāuis ſecūdum eſſe antecedat corporalē qualitatē, & contrarietatem diſpoſitionum, ſecundū naturam, non propter hoc ſecundum tempus ideſt non educitur de potentia corporis, ſed magis eſt cauſa eſſendi ipſi corpori. Nolo enim, quod rationalis anima ſimul natura cum corpore facta ſit, ſed prius natura creata, & in ſecundo ſigno infuſa. Et quia nec in eſſe, nec in fieri depēdet a corpore, ideò quāuis habeat corporalem, & temporalem creationem, non proptерea dicitur mortalis: nec etiam, quia eſt ſubſtantia ſupra naturam, & diuinum quoddam, non oportet vt ſit ante corpus; quia eſt ſupra naturam. quoniam non eſt a natura, vel ſimul cum natura per dependentiam, ſed bene ſimul facta cū ente naturali, & quamuis dicatur, quod extrinſecus adueniat ab Ariſto. intelligitur, non quod ſit prior corpore, vt diximus, ſed quod non educitur de potentia materiæ. immò per Ariſt. 12. Met. tex. 16. debet eſſe ſimul cum corpore, cum forma non præcedit tempore, id cuius eſt forma. Nec eſt dicendum, quod præcedat ſubiectum, ſicut intelligentia orbem: quoniam non eſt hoc ſimile, quoniam intelligentia eſt ſubſtantia completa in natura ſua, & nō eſt apta informare, ſed mouere orbem, non inconuenit autem ex 12. Met. 16. mouens præcedere duratione ſuum mobile, quod repugnat formæ, vt tenet Ariſt. in eodem loco. Et ſiquis diceret, nobilius non debet ordinari ad ignobilius, quod ſi anima creatur corpori præparato ad illam ſuſcipiendam, ergo ad ipſum ordi-

natur.

natur. Dico, quod cum vno, & eodem tempore corpus præparatur, & anima infunditur, quod nec corpus ad animam, nec anima ad corpus ordinatur, quæ duo reſpectu conſtitutionis, ſunt æque nobiliora, & in eodem gradu: quoniam conſtituunt hominem, qui conſtat ex anima, & corpore; ſed reſpectu eſſentiæ anima eſt nobilior corpore. Præterea anima vbicunq; eſt viuificat illud, & mouet, quod entium nullum efficit ante ipſam, ergo ipſa primò mouet, atque viuificat, ergo in ea eſt principium vitæ, & motus, ergo ante corpus. Dico, quod ipſa eſt principium vitæ, & motus in eſſe cauſali, non autem formali, quoniã ordinatur ad corpus, cum ſit ens, incompletum, & ideò non ſequitur, ergo ante corpus, quoniam dum creatur, habet hæc ſcilicet vitam, & motum in eſſe cauſali, quæ formaliter tribuit corpori, & ipſum viuere, ac mouere facit. Inſuper anima deſiderat ſcientiam maximè intelligibi-
Obiectio lium, & ab hac propriam conſequitur perfectionem, ergo illis connaturalis eſt, ergo perpetua, quia fruſtra deſideraret coniungi æternis, ſi non poſſet, ac ſi creata eſſet de nouo, nullam illorum hẽre prȩcognitionem. Dico, qđ aĩa affectat ſcire intelligibilia, ergo ante corpus, & creata ab æterno. negatur conſequentia, quoniam dum creatur, cum de ſui natura facta ſit a Deo immortalis, & intelligibilis, affectat intelligibilia: & conueniunt in hoc animæ, & intelligentiæ, cum ſint ſpiritales, ac intelligibiles: ſed quoniam non ſunt vnius naturæ, intelligentiæ ſunt creatæ in cœlo Empireo, quoniam intelligentia eſt in completa ſpecie, & anima cum ſit pars corporis imperfecta, decebat, vt Auic. ait, vt in corpore crearetur, accipiendo complementum ab illo, deinde in cælo permaneret, & quamuis multo ſimplicior ſubſtantia ſit, quàm corpus, non propter hoc locus ſuȩ creationis meretur eſſe ſupra omne corpus, quoniam non eſt, vt diximus, ſicut intelligentia, ſed media, ideò cum ſit actus corporis, ideo in medio debet eſſe creata: & ſi vltima perfectio animæ rationalis eſt, in cœleſti habitatione, non ideo ibi eſt

locus

locus originis ſuæ,quoniam; & graue genitum in medio regionis naturaliter deſcendit ad centrum . & tamen ibi genitum non eſt . ſic anima , quia non habet tantum vnam perfectionem,ſed primo primam in corpore, à quo accipit eſſe completum in ſpecie.& ſecundo ſecundam in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum.& ideò non eſt ante corpus,cum non ſit de ſe completa,quoniam creatio rationalis animæ terminatur ad rem,quæ eſt pars phiſici corpori,quæ ſecundum ſe perfectionem aliquam ſumit a corpore,& ideò non oportet,ut ſit prior tempore,& generatione corporis.Sed eſt contra nos fortiſsima ratio,
quod Deus ſuper æternitatem in æui puncto conſtitutus Rō contra
omnia ſemel,& ſimul quoad ſe attinet vnica actione agit Solutio
nec eius dignitas patitur illum poſſe nunc agere,poſtea verò nō agere.nam ſic eſſet agens temporale, ergo nō creat nunc vnam animam,& cras aliam . Dico,quod eſſentia
Dei eſt ſupra tempus, & ante tempus: ideo operationes Solutio.
ſuæ quæ dependent ab ipſo ſunt ſupra tempus, & ante tēpus.& cum creatio non indigeat tempore. ideò quamuis creat, non dicitur agens temporale . & ſic vnica actione agit ſapientia ſua intra ſe omnia,quoad extra. & cū ſit ſupra tempus creat , quando vult , & facit quæ vult , abſque
quod dicatur nunc nec cras creare,uel facere . Et ſi etiam Alia rō
quis diceret , anima rationalis eſt de perfectione mundi; contra.
ergo ſemper cum mundo , & per conſequens non ſimul cum corpore.

Dico,quod nunquam mundus priuatus fuit ſpecie animæ rationalis, cum quo tamen ſtat non eſſe in mundo tot Solutio.
rationales animas , quot poſſunt eſſe . quoniam licet vna numero anima ſit perfectior tota ſpecie , tamen indiuiduum non eſt ita de intentione vniuerſi,ſicut ſpecies.ſufficit , ergo quod ſpeciei rationalis animæ ſemper ſit aliquod indiuiduum. Et ſi etiam loca ſcripturæ uolumus ſaluare ad maiorem corroborationem veritatis , dicemus, Deum requieuiſſe die ſeptimo ab omni opere creationis per ſe,& ratione rei creatæ , ſicut eſt creatio intelligentiarum,

rum,& cœlorum. tamen non requieuit a creatione rationalis animæ, immò multa opera poſt vniuerſalem creationem Deus fecit, ut patet. Et quando Salomon dicit. Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonã, & cum eſſem magis bonus, ueni ad corpus incoinquinatum. Alb. inquit, non debet intelligi ipſum ſortitum eſſe animam, antequam eſſet: loquitur enim non de aduentu animæ, ſecundum eſſe, ſed per conſiderationem corporis, & ſic uenit anima. Per rationes igitur, & authoritates ſupradictas, videmus non benè philoſophos illos dixiſſe, qui rationalẽ animam ante corpus ingreſſum eſſe in ſpecie propria completam, ac nihil deficere ſibi ſuæ ſpeciei primò, & per ſe. quam perfectionem Platonici ſic intellexerunt dicentes, animam rationalem nõ eſſe eiuſdem ſpeciei cum intelligentiis, nec cum demonibus; ſed eſſe proprium gradum animarum, in quo animæ rationales ſunt plures eius eſſentialis perfectionis numero tamen ſecretas, atque differentes, & quia anima debebat cõtemplari diuina, materialia, & ſenſibilia, ideò Plot. Iamb. Porphy. & alij ponunt rationales gradus animæ, intellectum, rationem, & imaginationem hanc ab illa, & illam ab altera fluentem, ut iſtis diuina, materialia, & ſenſibilia cognoſcere poſſent. Similiter alij, qui alio modo de animabus ante corpus loquuti fuerunt, non benè naturam animæ, nec veras rationes attingere ſciuerunt. Si anima eſt ante corpus, hæc ſingularitas quæ competit huic animæ, uel ei competit inquantum anima, aut in eo quod erit, uel eſt huius corporis. ſi primum tunc conueniret omni animæ, ſi ſecũdum, ergo incipit, quando incipit eſſe in corpore. ſed quãdo incipit ſingularitas alicuius, tunc incipit id eſſe ſingulare, ergo hæc anima ſingularis non habet eſſe ante corpus. Nonne comprobat hanc veritatem Diuus Thomas fortiſsimis rationibus? quoniam ait. Si anima fuit prius creata, uel unitur corpori per voluntatem, uel appetitum ex circuitu annorum eius aduenientem corpori adhærendi, uel ex voluntate Dei. Non primum, quoniam in pote-

Rõ Thomæ ꝙ aĩa cum corpore creatur.

ſtate

ſtate rationalis animæ non eſt recedere a corpore, quando vult, ergo nec accedere. Non ſecundum, quoniam nō ſubiacent rationales animæ motibus cœleſtibus. Non tertium, quoniam uel hoc fecit Deus ad earum perfectionē, vel ad earum pœnam. non primum, quoniam non fuiſſet ratio, quare abſque corpore crearentur. nec ſecundum, quia tunc inſtitutio naturalium ex ſpiritualibus, & corporalibus ſubſtantijs eſſet per accidens, & non ex Dei prima intentione.

Alia ratio

Præterea anima ſenſitiua cum corpore, & in corpore fit; ſed intellectiua eſt ſenſitiua ſecundum eſſentiam, ergo intellectiua in corpore, & cum corpore fieri debet. Inſuper rationalis anima non habet eſſe diuerſum niſi a materia, ergo in materia habet fieri, & non ante materiam. Vltimò arguit Thomas, dicens. ſi rationalis anima fuit ante corpus uel creata, uel increata & ſi creata, uel completa in ſpecie, uel incompleta. Non increata, ſecundum Peripateticos, quoniam nulla intelligentia eſt libera a materia, præter primam, ergo creata. ſi creata, non incompleta, quoniam nihil imperfectum a Deo immediate eſt, & etiã eſt cōtra Moſem, qui dixit, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, ideſt perfecta. Si completa, ergo ex anima, & corpore non fieret verè vnum magis, quàm ligatum ex duobus; ſcilicet ligno, & homine. ergo creantur cum corpore, ut a Deo perfectum quid, & completū creetur. & hæc eſt natura ipſius animæ eſſe media. Similiter Auicenna longa ratione, hanc veritatem demonſtrat.

Alia ratio
Vltima rō Thomæ.

Ait enim, ſi rationalis anima eſt ante corpus, aut vna, aut multæ; ſi una, aut vna & eadem numero eſſet in omnibus animatis corporibus, quod falſum eſt, ut diximus; aut quod oēs animæ eſſent parte illius; quod ridiculum eſt, ergo non ex vna numero ſubſtantia animantur omnia viuentia. ſi multæ ante corpus uel multitudine eſſentiali, vel accidentali, uel ex cauſa, ſcilicet cauſali. Non eſſentialis, quoniam omnes animæ rationales ſunt vnius definitionis. ſi cauſalis uel ex intrinſeca materia, uel extrinſeca,

Auicennæ ratio quòd anima cū corpore creatur.

ca,

ca, ſcilicet agente non materia, quoniam non habent ma
teriam corruptibilem, nec cum tali contrectæ ſunt, nec
per reſpectus ad corpus. & propter hoc nõ poteſt fieri, niſi
duobus modis, ſcilicet quod uel ante corpus fuerunt om
nes animæ vna ſolum, quæ per generationem diuiduntur
per partes, quod deſtructum eſt: aut per reſpectum ad cor-
pus. & hoc vel corpus illud erit actu uel potentia; ſi actu,
ergo oporteret omnia corpora eſſe ſimul facta, ſicut & ani
mæ, quod eſt contra ſenſum. ſi in potentia id, quod eſt in
potentia materiali tantum, eſt contingens poſsibile, ſci-
dicet non fieri, ponamus ergo, quod non fiat, ergo non
erit reſpectus ad corpus ergo non erit vna per reſpectum
ad corpus, ſi dicatur eſſe multitudo accidentalis, uel a lo-
co, uel a tẽpore, a nullo iſtorum poteſt dici: quoniam ne-
que in loco, neque in tempore eſt: quoniam ſunt ſimul
tempore, immò æuo, ſi dicatur per accidentia ſpiritualia,
hoc nihil eſt, quoniã non eſt maior ratio, quare vna ha-
beat aliquod eorum, & non altera, ergo vel omnes, vel
nulla. quia ergo animæ ante corpus, nec vna ſunt, nec mul
Alia ratio tæ, ergo non eſt anima rationalis ante corpus. Amplius, ſi
anima præceſsit corpus, & poſtea detruſa fuit in corpus,
vel uiolenter, uel naturaliter, uel uoluntariè, non uiolen-
ter, quia homo eſſet non naturale ens. Non naturaliter,
quia tunc extra corpus maneret contra naturam. non vo-
luntariè, quia eligere quod deterius eſt, procedit ex erro-
re, vel ignorantia, ergo ſi nulla iſtarum cauſarũ, ergo non
Alia ratio fuit ante corpus. Præterea prius eſt, quod ſecundum na-
turam quàm præter naturam. ſed eſſe in corpore eſt ſecun
dum naturam, eſſe extra eſt præter naturam, & contra na-
turam, ergo ſimul cum corpore. Nulli ergo dubium am-
plius erit per ea, quæ diximus, tot aũt authoritatibus atq; ra-
tionibus corroborata animam creari cum corpore, cum
& ratione animæ, & ratione corporis hoc fieri debebat,
cum ſint entia incompleta, & compleantur adinuicem;
& ſicut forma non poteſt eſſe ſine materia, ſic anima in
creatione ſine corpore, cum ſit apta nata informare cor-

pus,

pus,& eſſe ſuum ipſi communicare. Cum rectè igitur explicantes cauſam efficientem definitiones demonſtrauimus, ipſius animæ rationalis creationem a Deo, & per conſequens eius inſtantaneam cum generatione corporis infuſionem ad cauſam finalem accedemus.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De cauſa finali ipſius Animæ Rationalis, quæ eſt poſſe omnia cognoſcere.

Liber Sextus.

CVM hucuſq; ſatis ſufficienter, quantum ſubiectæ materiæ conuenit de alijs partibus definitionis tractatum ſit: nunc reſtat, quod pro completa declaratione totius definitionis, incipiamus declarare, atque manifeſtare cauſam finalem anima rationalis. & certè, quod nobiliſsimus ſermo erit, cum animæ finis excedat omnium rerum fines in perfe-

in perfectione, excellentia, atque nobilitate, incipientes igitur dicimus, quod cum duas apud Theologos, atque philoſophos hominum genituras, cauſas reperiamus. Prima eſt, vt Deus in hoīe ſeipſum, & vniuerſa concluderet, vt in ope ſuo pfectiſsimo, & vltimo, altera verò, vt mirabilia opa dñi cōtēplaretur, illisq; præeſſet, iō accepta ſecunda cauſa pro fine hominis dicimus, quod eſt illa ſcilicet.

Poſſe omnia cognoſcere.

Quoniam data eſt homini anima ad hunc finem, vt per ipſam omnia cognoſcere poſsit, quæ omnia ſunt Dei mirabilia. Vnde cum entium quædam ſint intelligibilia, & quædam ſenſibilia, ſi debet vtrunque cognoſcere, atque ſpeculari, oportet, quod anima rationalis mediæ ſit naturæ, atque verſatilis, ita quod verſa ad ſenſibilia ipſa cognoſcat, & verſa ad intelligibilia illa percipiat, & diuerſis denique facta naturis inferiora, & ſuperiora reſpiciat, & ſic rectè dixit ſpiritus ille diuinus, quod homo habet mentem, per quam omnia cognoſcit, & rerum omnium eſſentiam perſpicit, nec extra naturam ipſius animæ hoc eſt: immò conſentaneum, quoniam cum in ipſa ſint duæ portiones, quarum altera ſit poſsibilis, altera agēs eiuſdem eſſentiæ, poteſt eadem ratione poſsibilitatis naturæ ad ſenſibilia vergere, & ratione naturæ agentis, ad intelligibilia aſcendere, & ſic non dicetur medium, quia vnicam tantum habeat operationem intellectus, vel anima rationalis, ſed quia habet naturam mediam: quoniam cū ſenſus ſit alterum extremorum, debet habere operationem ſibi competentem in ratione extremi: intelligentia, & ipſa quæ eſt alterum extremorum, debet habere operationem ſibi competentem in ratione extremi, ergo intellectus humanus cum ſit medius inter hæc extrema, & cū vtroque communicare debeat: debet enim totus vno modo ſenſui, alio modo intelligentiæ eſſe conformis, ſcilicet fieri modo ſenſualis, & modo intellectualis; & ſic anima, quamuis ſecundum ſe, & de ſui natura ſit indiuiſibi-

lis, tamen media eſt, quatenus ſit intellectualis, dicitur indiuidua, & quatenus ad imaginem, & phantaſmata ſe extendit diuidua. Nec eſt dicendum, vt Neotericus ille, quod anima ſit diuidua propter imaginationem, & virtutem vegetatiuam, quoniam non per potentias, ſed per propriam naturam dicitur diuidua. Cum, vt ait Algazel anima humana habeat duas facies vnam erectam ad ſuperiora ſpeculanda, reliquam inclinatam ad corpus regendum. tract. 50. in logica & philoſophia. Vnde non eſt dubium, quod anima non ſit media, quod confirmat Auer. ſecundò phiſ. 26. dicens, forma hominis vltima media eſt inter abſtractus, & materiales, volens inferre, quod de natura ſua poteſt, & abſtracta, & materialia intelligere, atq; cognoſcere, & idem primo de anima 26. ait. Themiſtius dicit, quod Plato intendit per naturam mediam in Tymæo intellectum inter omnes partes animæ, cum ſuum eſſe ſit medium inter formas materiales, & abſtractas, dixit ſuum eſſe, & non potentiam aliquam. Et Iamblicus de myſterijs ait. Duplex eſt ſtatus animæ materialis, cum anima corpori implicatur, immaterialis cum ſeipſam tota conſtituitur. Ex Plotino ſecundo habemus, quod anima eſt quædam ſubſtantia diuina media inter intellectũ indiuiſibilem, & corpus diuiſibile omnino. Et ſic non eſt dubitandum de natura media ipſius animæ. Et quando Ariſt. tertio de Anima 3. & 39. dicit, quod intellectus eſt ſemper cum phantaſia, dicendum, quod Ariſt. loquitur de Anima, prout cum corpore operatur, & ſic formaliter eſt ſemper cum phantaſia, ſed cauſaliter non eſt cũ phantaſia, immò ducit ſecum phantaſiam. Vnde cum anima facta eſt naturalis ſemper, intelliget excitatione phantaſmatum, cum autem facta eſt intellectualis, non indiget amplius phantaſmate, cum per ſe, & etiam per lumen extrinſecum omnia intelligat, atque cognoſcat. Et Simplicius dicere ſolebat, quod cum eſt perfectus intellectus, licet reperiatur cum phantaſia, quia eſt in Gregorio: non tamen reperitur cũ ipſa, quia ab illa dependeat, aut quod

Auer. 2. ph. 26. Auer. 1. de anima 26. Iāblicus. Plot.

ab

ab illa mendicet, ſed oppoſito modo potius phātaſia conſequitur intellectum perfectum tanquàm orbis ſuam intelligentiam. Nec dicendum eſt vt impius, valde irrationabile eſſe, quod vna,& eadem eſſentia numero indiuiſibilis,duas valde diuerſas operationes habeat,cum operatio notet eſſentiam. Reſpondendum ſanè de ipſo potius admirandum eſſe,qui nō viderit apud metaphiſicos, quālibet intelligentiam,ſecundum eſſentiam propriam,poſſe mouere orbem,& intelligere. Vnde mirum nō eſt animam fieri diuerſam cum ſit naturæ, quæ diuerſimodè fieri poteſt. Et ſi quis diceret Auer. 12.com.primi de Anima ait,impoſsibile eſt intellectum intelligere ſine phantaſia, ſi ergo dependet ſemper a phantaſia, nunquā igitur intelligere poterit independentiam, & ſic non poterit appellari medius. Dico,quod Auer.debet intelligi,non ſecundū literam, ſed ſecundum veritatem, ſcilicet quod anima in primo ſui ortus,& ſtatu cum corpori infunditur: quoniā non poteſt exercere virtutem intellectiuam,& fieri intelligentia, dicitur eſſe imperfecta, & ideò dependet formaliter ſemper a phantaſia, ſed poſtea proceſſu temporis,cū poteſt exercere virtutem intellectiuam, fit perfecta, & nō ſemper hanc intelligit cum phantaſia; immò ſecum ducit phantaſmata, quia phantaſmata conſequuntur ipſam, vt diximus. Cum igitur intelligat cum phantaſia, & ſine phantaſia: ideo ex hac ſumitur, quare anima eſt cognitu difficilima, quoniam media eſt, modo hanc operationē, modo illam, vt per exemplum videre poſſumus in coloribus: Color albus, et niger quia ſunt extremi, ſunt magis etiam noti: ſed flauus color non eſt ita notus ob latentiā propriæ naturæ vnde qn̄que etiam nomine caret; & ſi nominatur; nominatur extremorum nomine; flauus enim color quandoque albus,quandoque niger appellatur: qui quidem color medius nō eſt compoſitus ex extremis, ſed eſt natura quædam ſimplex, quæ comparata diuerſis extremis, diuerſa ſortitur nomina: vnde flauus color, ſi cōparetur albo,dicitur niger,ſi nigro albus,neque enim cre

Obiectio.

Reſponſio

Obiectio.

Reſponſio

Exēplū de coloribus ducēs nos in cognitionē mediæ naturæ animæ.

dendum eſt, medium hunc colorem ſecundum vnam par tem vni cõparari, vt albo; ſecũdum vero aliã partẽ nigro; ſed ſecundum ſe totum cõparatur cuilibet extremorũ. Ita profectò anima eſt vna eſſentia indiuiſibilis, q̃ ſm ſe totã modo ſenſui, modo intelligentijs comparatur, cum ſapit naturam intelligentiarũ dicitur indiuidua, ratione verò qua cõparatur inferioribus cum quibus cointelligit per hanc comparationem quam habet cum ſenſitiuis virtutibus exiſtentibus in corpore dicitur diuidua. Nec valet dicere vt Athæus illi, anima dependet a corpore obiectiuè ergo deſtructo corpore nõ amplius operabitur ergo mortalis, dico quod verum eſt quod deſtructa corpore formaliter non amplius operatur ergo mortalis negatur conſequentia quia cauſaliter operatur, quoniam potentiæ illę per quam operabatur dependent ab anima, & non a corpore, & per ipſas operabatur in corpore, ideò deſtructo corpore non amplius operatur, & ideò dicitur mortalis formaliter quia non operatur, tamen potentia regreditur in ſuam eſſentiam, & nonſi operatur particulariter, & cum phantaſia, operatur vniuerſaliter, & perfectiori modo quia ſine phantaſmate ideò non ſequitur deſtruitur operatio ergo potentia, ergo eſſentia, quoniam quãuis deſtruatur ideſt q̃d nõ operetur formaliter, & cũ corpore intelligat, tamen remanet potentia in radice ſuæ eſſentiæ, & hæc corruptio eſt perfectione, non autem deſtructiua ratione animæ. Facta igitũ animæ naturalis ſemper obiectiue a phantaſia dependet, facta poſtea intellectulais non indiget phantaſmate. Nec etiam dicendum eſt intellectum eſſe medium vt alij dicunt, quod cum detur omnibus modis abſtractum a materia ſicuti Deus, & intelligentiæ, ac ſuum oppoſitum illud ſit q̃d oĩb. modis eſt concretum, & materiale quod nõ ſolũ obiectiuè ſed ſubiectiuè dependeat ſicutĩ virtus ſenſitiua ĩter hæc duo extrema datur inquiunt virtus media quæ neque eſt intelligentia, nec virtus pęnitus materialis, & eſt intellectus noſter qui quidem çum medius ſit habet quod &

Obiectio Athei.

Obiectio.

morta-

mortalis, & immortalis ſit, ſed ſimpliciter mortalis, quia obiectiuè dependet a corpore, ſecundum quid autem immortalis, quia nō dependet ſubiectiuè a corpore. quæ opinio falſa eſt, quoniam uel eſt medium per abnegationem, uel per compoſitionem extremorum. ſi primo modo, ergo neque materialis, neque immaterialis, quod falſum eſt, & contra ipſoſmet, qui tenent mortalitatem. ſi ſecundum, ergo in eadem eſſentia eſſet mortale, & immortale, quod falſum eſt, & inueniri non poteſt, ideò bene dicebat Auer. primo met. 39. Nulla ſubſtantia eſt media inter abſtractum, & materiale, ergo erit media per comparationē extremorum, ſicut diximus in exemplo de coloribus. Dicunt etiam, impoſsibile eſt, quod anima intellectiua vertatur in intelligentiam, ſicut nunquam ſenſitiua in intellectiuam vertitur. Dico, quod qui teneret intellectiuam diſtingui a ſenſitiua re, & eſſentialiter, quod conſonum eſſet quod ſenſitiua non poſſet verti in intellectiuam, ſed qui tenet per potentias diſtingui, ſicut demonſtrauimus, non eſt abſurdum iſtas potentias verti in intellectiuam, quoniam in ipſa anima eſſentialiter, virtualiter, potentialiter, atque cauſaliter ſunt omnes potentiæ, per quas formaliter cum corpore operatur. & uerum eſt, quod formaliter ſenſitiua non vertitur in intellectiuam, quoniam tūc operatur, ſed bene cum non operatur formaliter regreditur in ſuam eſſentiam. Ex quibus omnibus elicere poſſumus, quomodo anima diuerſimode conſideratur. nam ut ait Simpl. quatenus progreditur tota ad ſenſibilia intelligit cū phātaſia, & ut ſic cōponit, & diuidit, & quatenus tota aſcendit ad intellectum, intelligit indiuiſibilia, in quib. non cadit falſitas. Reſponſio Obiectio. Reſponſio

Cum iam probatum ſit, quod Anima Rationalis eſt natura media, reſtat oſtendere quomodo omnia cognoſcere poſsit, ut complementum totius cauſæ finalis, & per conſequēs definitionis a nobis propoſitæ manifeſtetur, quod facilè ſi naturam ſuam conſiderabimus, comprehēdemus. Cum in ipſa enim ſit agens, & patiens, ergo poſſunt om- Qūo aīa oia cognoſcere poſſit

nes ideæ quæ in ipſa ſunt potentia intelligibiles fieri actu intelligibiles, & ſic homo proprio lumine naturali, & intellectu agente intrinſeco omnia intelligere poteſt in hac vita, & fieri felix, atque perfici in ſcientijs ſpeculatiuis, & quantum per ſe haurire poteſt ratio verum cognoſcere quamuis peſsimus, & prauus ſit. Propria Auenazar, & Auer. quandoque dixerunt perfectionem hominis eſſe in ſcientijs ſpeculatiuis, quam cognitionem idem Auer. 3. de Anima 14. attribuit Ariſto. Nam dicit, credo Ariſtotelem

Aue. 3. de anima 14. Plato.

fuiſſe regulam in natura, & exemplar, quod natura inuenit ad demonſtrandum vltimam perfectionem humanam in materijs. Vnde Plato uolens demonſtrare, quod homo poteſt cognoſcere omnia ait, animam ſeipſam cognoſcere uolens in animam aſpiciat, & in eam præſertim partem quæ præſtantior eſt, mentem ſcilicet in qua viget ſapientia, ideſt cum vult anima, quod habet potentia cognoſcibile facere actu reſpiciat ad virtutem agentem quã habet intra ſe, & omnia videbit, quoniam ipſa eſt illa quæ reducit ad ultimam intellectionem humanam omnium rerum, quam intellectionem idem Plato in Philibo appellat contemplatiuam vitam, & dicit eſſe cæterarum diuiniſsima. Et Ariſt. 10. eth. c. 7. ait. Itellectus eſt dininum aliquid uel eorum quæ ſunt in nobis diuiniſsimũ, ideò eius

Ar. x. het. c. 7.

operatiò eſt ſumma fęlicitas, dixit enim, eorum quæ ſunt in nobis. quoniam nõ extrinſecus aduenit, dicit eius operatio eſt ſũma fœlicitas, quoniam in hac vita non poteſt dari niſi fœlicitas actiua per habitus practicos, & ſpeculatiua per habitus ſpeculatiuos, ideò bene dixit fœlicitatẽ eſſe eius operationem, ergo poteſt dari fœlicitas in homine, ſi eius operatio eſt talis, & ſic lumine proprio naturali cognoſcere omnia. idem ait, Dijs tota uita beata eſt, homi

Idem

nibus catenus quatenus quædem operationes eorum ſimilitudo in ipſis ineſt, aliorum animalium nullum felix. quia contemplari nequit, ergo homini poteſt dari hæc omnium rerum cognitio, & fœlicitas, quia ſi non daretur non diſtingueretur ab alijs animalibus.

Præterea

Præterea Auer. in procem. phiſ. ultima perfectio hominis eſt, ut ſit perfectus per ſcientias ſpeculatiuas, & hæc eſt illi vltima fœlicitas, & ſempiterna vita. Et idem primo de anima 65. & tertio de anima 4.5. 36. ait, quod intellectus materialis comprehendit intentiones omnium entium, ergo omnia cognoſcere poteſt. Idem 12. met. 17. Cum intellectus materialis fuerit denudatus a potentia intelligemus per ipſum ſecundum, quod actio eſt ſubſtantia eius, & hæc eſt vltima fœlicitas. Idem in de ſubſtantia orbis ca. 2. ait, Deus perducat nos ad fœlicitatem humanam, & vltimam perfectionem quæ in nobis naturaliter inuenitur, de qua ſi perſcrutabitur homo videtur nobilius omnibus, & Deus non ponat nos in eis quorum impedimenta ſunt res quæ nobis ſunt extrinſece, & intrinſece, ergo dat hanc fœlicitatem, & omnium rerum cognitionem, quod confirmans in tract. de animæ beatitud. cap. 2. ait. Eſt de rebus notis per ſe quod intellectus materialis habet intelligere omnes formas, cui adſtipulatur Algazel in logica, & philoſophia libro primo tract. primo dicens. Anima eſt quaſi tabula lenis continens ſummam omnium quæ in mundo ſunt in qua inuenitur exemplum omnis rei, & per quam eſt poſsibile cognoſcere vniuerſa.

Auer. in proh. phi.
Auc. 1. de anima 65. & 3. 4. 5 36.
Auer. 12. met. 17
Auer. de ſub. orb. c. 2
Auer. in tract. de animæ b. a. cap. 2
Algazel in log. Phil. li. 1. tract. 1.

Præterea Alexander primo de anima ait, intellectus in habitu, qui materialis perfectio eſt acquiritur exercitatione, ſummaque doctrina, & ideò illum pauci habent, vult dicere, quod intellectus iſte quem appellat materialem, uel præparationem fit in habitu per proprium lumẽ quod lumen excitatur doctrina, & exercitatione phantaſmatum, & quoniam difficile eſt cognoſcere omnes ſpecies, ideò dicit quod pauci illum habent, tamen non dicit eſſe impoſsibilem hanc cognitionẽ, immò primo de anima ait. Intellectus, qui uelut habitus dicitur eſt cum homo poteſt ſine ſenſu de ſe intelligere ob præteritam exercitationem, inferre volens, ſicut etiam verum eſt, quod cũ agens intrinſecum reduxit ſpecies potentia intelligibiles excitatione phantaſmatum actu intelligibiles dicitur in

Alex. 1. de anima.
Alex 1. de anima.

habitu ideò cum eſt habitu non indiget ſenſu, quoniam ob præteritam exercitationem, & excitationem phantaſmatum intelligit.

Io. Picus. Concluſio Adelādi & Maurorū. Præterea eſt concluſio Adelandi, & omnium Maurorum, ut dicit Ioan. Picus, quod anima apud ſe habet rerū ſpecies, & excitatur tantum ab extrinſecis rebus, ergo ſi habet rerum ſpecies, ergo ipſas intelligere, & cognoſcere poteſt. Item Ploti. 9. Enead. quintæ, intellectus proprius non poſsibilis, ſed agens, & nic ſemper omnia intelligit. Ex his ergo omnibus cōcludere rationabiliter poſſumus, quod homo cum habeat intellectum poſsibilem, qui eſt potentia omnia fieri, ut dicit Ariſto. & intellectum agentem omnia facere, quod ex ſe poſsit omnes idæas quas habet progreſſas in ſe intelligere actu, & perfectè abſque auxilio alterius luminis cognoſcere. Et quamuis pauci ſunt qui ad hanc perfectionem deueniant, hoc non ex parte rei quæ non ſit cognoſcibilis & cognoſci ab homine nō poſſit, ſed ex parte cognoſcentis, cum ad alia intentus ſit, uel malè diſpoſitus. & hoc ſcire, & ſapere eſt ſecundum hominem, & ſecundum ſapientiam humanam acquiſitam ſecundum carnem quam ſpiritus ſpernit, ut videbimus, & confundit. quoniam ſi uelit ad excelſa Dei conſcendere, deficit homo in apprehenſione, & ſolum pro capacitate naturæ, rationiſque veritatem accipit, ideò ueritatem rei & cauſarum cognoſcere non poteſt. Propterea dixit Paulus, videte ne ſeducant uos philoſophi, qui ſcilicet ambulant ſecundum carnem, quia anima non adiuta ſuperiori lumine cœcutit ad ſummam, & in apprehenſibilem præciſam veritatem ſicut nicticorax ad ſolem, ut inquit Ariſtot. vnde cum talis cognitio eſt imperfecta datur cognitio perfectior, & vltimo perfectiſsima. dicuntur autem perfectæ, & imperfectæ cognitiones reſpectiuè, ſed non in ſe, cum omnes in ſuo genere ſint perfectiſsimæ, ſed reſpectiuè vna dicitur perfectior altera, vnde perfectiſsima in hac vita dari non poteſt, cum anima grauata ſit corpore, ſed poſt mortem, bene datur per ſpacium temporis aliquā

Plotinus 9. Enead 5.

Paulus.

do quando intellectus agens proprius hominis copulatur intellectui agenti extrinſeco, ſcilicet lumini diuino, tunc enim ſupra lumen naturale conſcendit, & quæ in habitu cognoſcebat, actu comprehendit, ita quod intellectus agens proprius hominis eſt diſpoſitio quædam ad intellectum extrinſecum agentem, & talis cognitio homini conceſſa dicitur potius fœlicitas, quàm beatitudo. quoniam non durat, & beatitudo ſemper durat, quia eſt in ꝑpetua intuitione, & intellectione. Vnde quando homo in hac uita intellectui agenti vniuerſali copulatur, dicitur a nobis intellectus in actu, poſt mortem verò intellectus adeptus, quia iam adeptus eſt, quod deſiderabat pro ultimo ſtatu omnis beatitudinis. Quod igitur in hoc ſtatu poſsimus ſupra noſtrum intellectum conſcendere, & non tantum verum, ſed veritatem cognoſcere, Auer. in prima diſp. in phiſ. aliquid de hoc tetigit, dicens. Quod via electorum in verificatione prophetarum eſt alia a uia ad quã excitauit nos Auicenna multis in locis, quodque ea eſt operatio proueniens ab attributo prophetæ, quæ eſt notificatio occulti, & poſitio legum conuenientium veritati, & facientium adipiſci id quod eſt ſummum bonum omni creaturæ, hæc ille. Et quia nullus homo reperitur qui retineat ſemper vniuerſalem agentem extrinſecum, & perpetuo hoc uiuat, & agat, ideò dicitur neminem habere intellectum in actu, donec in hoc corpore uiuit, quod ſciens Ariſt. in 9. met. dicit, non eſſe nobis cognitionem eorum quæ quid, & actu ſimul ſunt, ideſt intellectionem abſtractorum. hanc tamen ignorantiam ait non eſſe ſicut cœcitatem. quaſi dicat nos aptos eſſe ad intellectionem in qua idem eſt eſſe, & eſſentia, intellectio, intellectum, & intelligentem, ſed hoc non contingere nobis niſi rarò in hac uita. Idem intendens Auerroes reprehẽdit Auenzoar, quod putauerit talem intellectionem eſſe homini impoſsibilẽ, & dixerit eſſe fabulam uetularum, eo quod vnquam non uerit aliquem qui ad id peruenerit, neque ipſe potuerit peruenire, & longius abfuerit, quando putauerit appropinquari

Auerr. 1. diſp. i phiſ.

Ariſt. 9. Met.

Auerr.

pinquari

pinquari in ipſa videlicet ſenectute,& ait ob id non tolli, quin anima hoc poſsit adipiſci, & in lib.de beat.loquens de potentia diſtinguit,& ponit poſsibilitatem quæ tamen nunquam reducitur ad actum in multis quæ poſsibilitas eſt ſolum aptitudo intrinſeca rei, & naturalis, quamobrē anima quidem humana habet aptitudinem ad cōiunctionem cum illo agente intellectu,ſed nulla eſt, quæ coniungatur de facto,ſcilicet in hac vita,ita ut coniuncta permaneat,ſed bene per aliquod ſpatium poteſt coniungi,quod idem Auer.in paraph.met.declarat,dicens. Poſsibile eſt quod cauſæ alicuius rei ſint ignotæ nobis, quæ tamē ſunt in eſſentia intellectus agentis qui non aliud eſt quàm cōprehenſio omnium rerum, & ſecundum hoc poſſunt reddi cauſæ prophetarum,& reliquarum vaticinationum,patimur tamen nos huiuſmodi imbecillitatem ratione materiæ,igitur remoti a materia talia non patimur, & viuentes etiam in huiuſmodi prognoſticationibus intellectui coniungimur. Ariſto.verò clarius hanc in aliquo tempore coniunctionem in hac vita teſtatur in 12. met. & ibi etiam Auer. quando ait ſummam eſſe voluptatem intellectus intelligentis ſeipſum,eamque pauco tempore hominibus ineſſe.

Auer.l.de beat.

Auer. paraph.met.

Ar.& Au. 12. met.

Hoc igitur lumen,ſeu intellectus agens animę receptiuæ beatitudinis adueniens deforis eſt diſtinctus ab agente hominis, quoniam iſti abſtrahit a materia formas intelligibiles, & ille abſtrahit animam a tenebris naturæ ad lucem Dei,ideò non requiritur, ut dixi ad ſciendum ſciētias. aut alias res quas ratio facit,& diſponit, ſed requiritur ad intuendam veritatem præceſſam, & cum cauſa illius ſit. Deus ſolum in omnibus, nimirum eſt diuinus, & excellens,& unus in omnibus,ab vno enim procedit, ſed quoniam hoc quidem illi tribuit,illud autem alij,nam ſecundū hunc alij ſunt Prophetæ,alij Apoſtoli,& alij aliud, ideò in hominibus videtur multiplex, & propheta ponit ſeptem dona ſpiritus Sancti, ob id non debet aliquis dicere intellectum agentem in hominibus eſſe plurificatum

Differētia inter intellectum agentem hoīs, & uniuerſalē

nisi

niſi ſecundum hunc modum. De quo lumine loquens Ariſto.in primo reth.dicit, Deus in anima lumen intellectus accendit, & Auer.in diſp.6. Nemo euadit ab errore niſi is cui tribuit Deus glorioſus rem diuinam præter naturam hominis ſicut ſunt Prophetæ qui omnes, ut ait in 4.diſp.phiſica ſunt ſapientes.Deus enim (ut ibi ait) eſt dirigens ad verum, & approprians veritati eum quem vult quæ res diuina ab aliquibus credita eſt eſſe Angelus domini,ut ipſe dicit in prima diſp. phiſ. Humana igitur anima dum in corpore degit hunc influxum intellectus recipiens non multum retinet, ut dixi, ſed citò derelinquit, quia ſuperuiuentium aliquo non ſiſtit, ſed uadit, & uenit per tranſiens, & ſi diu maneret abſorberetur homo a dicto lumine. Zoroaſtes verò de hoc lumine loquens dicit Aſcendendum eſt ſibi ad lumen ipſum,& ad patris radios unde tibi miſſa eſt anima plurima induta mente, quod Hermes nos recipere adhortatur dicens. Aſcendere te oportet ſupra cœlos, choriſque demonum longè ab eſſe, ideſt ad lumen hauriendum per quod lumen ſecundum Pythagoram homo fit immortalis Deus,dicens ſi tu relinquēdo corpus in ætherem liberum tranſieris eris immortalis Deus.Vnde Ariſto.libro primo ad Eudemum ait, Diuino numine afflatis per fanaticum furorem fœlicitatem a dijs tribui, hic autem furor nihil aliud eſt quam mentis illa eleuatio, quam mortem Platonici methaphorice appellant, & vulgus extaſim quæ fit per coniunctionem intellectus noſtri agentis particularis cum intellectu agenti vniuerſali,& lumine prædicto. Quoniam anima in mentem per rationem aſcendit,vbi diuino lumine repletur,& tunc fieri poteſt,ut intellectus agens nominis ad hoc perueniat,ut hoc mediante omnia operetur, quoniam lumē illud omnia inferiora diiudicat, atque regit. quibus ſite communicat, & dicitur apud ſecretiores Theologos Malchus,quod Regnum ſignificat,quoniam facit homines reges,nam per virtutem diuinitatis in nobis habitantis omnibus imperare,& dominari poſſumus, & hoc lumen Ioā-

Ariſto.1. Reth.
Auer in diſp.6.
Auer. 4. diſp. phiſ.
Auer. 1. diſp. in phiſ.
Zoroaſtes
Hermes.
Pythagoras.
Ariſt.l. 1. ad Eudemum.

nes

nes appellauit lucem, alij intellectum agentem, Hebræi Neſſamach, uel ſpiraculum uitarum, Auguſtinus portionem ſuperiorem. Quod lumen ſupra naturale differt a lumine naturali ſicut intelligentia ſolis ab ipſo ſole: uel ut melius conferam, lumē ſolis a lumine lunæ, lumen enim naturale eſt a lumine ſupra naturali, ideo dicitur opus naturæ eſt, opus intelligentiæ, ſed illi inferius eſt, ut natura intelligentiæ, & gradus lunaris, gradui ſolari. ita ut ſicut relucet intelligentia in natura, & ſol in luna per lumen, quod illi tradit, ita intellectus, & eius ſplendor ſpiritualis, & diuinus fulget in ratione, & anima rationali, & anima ſicut ſpeculum recipiens lumen, & imaginem intellectualis luminis. Vnde homo lumine naturali cognoſcere poteſt omnia, ſed ut vera, & in alio gradu differenti, & nō ſecundum veritatem. ideò ſi excellentiſsimam uolumus habere rei cognitionem oportet, ut adiuuemur lumine ſupra naturali. Quam differentiam luminis naturalis a ſupra naturali per exemplum manifeſtauit Ariſto. libro ſecundo met. t. c. primi, dicens. Quemadmodum veſpertilionum oculi ad lumen diei, ita intellectus animæ noſtræ ad ea quæ manifeſtiſsima ſunt. & Auer. tract. de beat. animæ cap. 4. dicit, comparatio intellectus agentis ad hominem eſt ſicut ſolis ad ſenſum viſus, & ſol dat lucem oculo per quam etiam eleuatur ad ipſum videndum. ſic intellectus agens tribuit homini eſſe impreſſum in virtute rationali, quod habet comparationem cum anima rationali, & lux cum viſu, & ita res quæ erat attributa materiæ reducitur ad eſſe diuinum, & quando ad hunc peruenimus gradum, tunc eſt completa noſtra beatitudo. Vult dicere Auer. quod agent vniuerſale extrinſecum, ſcilicet lumen diuinum, & ſupranaturale attributum materiæ, ideſt lumini noſtro nautrali, quod eſt tāquam materia reſpectu ipſius, quoniam eſt in potentia ad ipſum reducit hanc potentiam ad eſſe diuinum, & dicitur beatitudo, quia actu poſsidet lumen, quod in hac vita contingit tantum, poſt mortem durat, ideò in hac vita dicitur intellectus in actu,

Differentia luminis ſupernaturalis à naturali.

Ariſt. 2. met. t. c. 1.

Auer. trac. de beat. animæ c. 4.

poſt

poſt mortem adeptus, quia non amplius recedit, ideò ſequitur Auerr. dicens, & oſtendens, quomodo non durat. Et ſcias qđ qn̄ eſt ſeparata hæc beatitudo a nobis aliquo tempore accidentaliter, non debet ſeparatio attribui a diminutione, & permutatione in ſua ſubſtantia, nec coniunctio ſimiliter acquirit ei aliquam formā quam antea non habuerit. hæc cap. 4. Ideò Alpharabius in lib. de ſcientia diuina dicit: Res diuinæ, ac pia fide credibiles ſunt altioris ordinis, cum ſint aſſumptæ ab inſpiratione diuina, quoniam in eis ſunt ſecreta diuina a quorum comprehenſione rationis humanæ debilitantur, neque conſequuntur ea. Antiqui philoſophi igitur, quoniam lumine naturali philoſophati ſunt non perfectæ res comprehenderunt, ſcilicet ſecundum veritatem, ſed diſpoſiti fuere ad intelligentiam rerum perfectam, & ſic quando cognoſcit actu homo per proprium lumen quæ erant in potentia tunc dicitur hæc ſcire hominem per ſcientiam acquiſitam, cum autem coniungimur lumini extrinſeco, & quod intellectus fit in actu dicitur ſcientia infuſa, cum poſt mortem fit adeptio luminis dicitur ſapiētiæ in vnitate cognitio quæ eſt hominis beatitudo æterna. Ideò dum ſumus in hac vita debemus, ut ait Socrates non in ſenſibilibus animum ſiſtere, ſed ad altiora tranſcendere. Nonnè vanum eſſet dicere, nos ad altiora tranſcendere ſi non poſſumus. ſi ergo poſſumus, ergo ad lumen, & ad veram intelligentiam aſcēdamus. & oportet, ut dicit Ariſt. 10. eth. non quemadmodum monent aliqui, humana nos ſcire, cum ſimus homines; aut mortalia, cum ſimus mortales: ſed quoad fieri poteſt immortales nos ipſos facere, cunctaque efficere, ut ea vita viuamus, quæ ab eo manat, quod eſt eorum, quæ ſunt in nobis potentiſsimum. ergo ſecundum Ariſt. poſſumus ſupra intellectum agentem noſtrum conſcendere, & guſtare beatitudinem, quoniam fruſtra eſſet quærenda, ſi nō poſſet adipiſci: ideò, loquens de ijs, qui tale lumen cognoſcunt, ait primo eth. c. 12. Deos beatos. fœliceſque dicimus, & hominum eos, qui diuini maxime ſunt, ideſt qui

Alph. in l. de ſcientia diuina.

Ariſt. 1. eth. c. 12

hoc

hoc lumen hauriunt: quod confirmans primo Reth. ad Theodectem, dicit. Duæ ſunt fœlicitatis ſpecies, altera diuina faciens aliquid diuino impetu, & numine; & hæc eſt copulatio noſtri agentis intellectus, cum lumine diuino. & hic uocat ipſam fœlicitatem, quoniam per contingentiam eſt beatitudo, poſtea ſequitur, & dicit, altera, quæ præter hunc impetum conſultatione facit, quæ eſt illa, quæ per habitus aut practicos, aut ſpeculatiuos acquiritur. Per ea igitur, quæ diximus, ſatis maniſeſtè apparet, quod homo poteſt omnia abſtracta intelligere, & veritatem omnium rerum, dum eſt in corpore. Ideò Auer. 2. met. 1. & 3. de anima 36. Non eſt impoſsibile nobis intelligere abſtracta, ut eſt veſpertilioni aſpicere ſolem. & idem 9. met. 22. Fœlicitas maxima, quæ eſt intelligere ſeparata, eſt per intellectum ſpeculatiuum in ultima ſua perfectione, & non per potentiam cogitatiuam, & in paraphr. Plat in Repub. tract. primo ait. Quatuor ſunt humanarum perfectionum genera, ſcilicet virtutes contemplatiuæ, morales, mechanicæ, ideſt operatiuæ, & naturales, quæ omnes ad contemplatiuas diriguntur, uelut præludia quædam, & apparatus nam quæ ante finem ſunt eius gratia expetuntur, has omnes adipiſci unum, uel eſt impoſsibile, vel ualde difficile. ecce quomodo confirmat, poſſe hominem cognoſcere omnia & hoc confirmans diſp. 3. ait, quod in eo, in quod deficit intellectus humanus ad comprehenſionem, eſt reuertendum ad legem. Nam ſcientia prouenicns ex prophetia, eſt complens ſcientias intellectus, ſcilicet quod omne in quo deficit intellectus, Deus tribuit per prophetiam, ſcilicet per lumen ſupranaturale. Et idem etiam in tract. de beat. animæ, ait. Omnes philoſophi concordant, quod vltima beatitudo eſt intelligere abſtractos intellectus. & hoc poſuit Alexander in quodam ſuorum librorum, ut per ſe notum. & eodem loco dicit. Patet, quod intellectus agens & cauſa in intellectu materiali, non ſolum, ut efficiens, & motor: ſed etiam, vt ultimo perficiens, ideſt per uiam formæ, & finis, & hoc eſt, in quo erraui-

Ariſt. 1. Rhet. ad Theodectem.

Auer. 2. met. 1. & 3. de aïa 36.

Auer. 9. met. 22.

Paraph. in rep. plat. tract. 1.

Auerr. diſp. 3.

Auer. in tract. de beat. aïæ. c. 3.

Auer. ibidem.

Error Auenaſaris.

rauit Auenaſar, putans, quod eſſet cauſa ſolum, ut motores materiales:& quãuis hæc natura intellectus multis hoĩbus ſit ignota, non tñ omnib. ſecus diuina prouidẽtia quæ dicitur natura ſapientiæ feciſſet aliquod vanum, ponendo rem in potentia, quæ nunquam ad actum reduceretur. Vnde Auerr. ibi loquitur de intellectu agente extrinſeco qui eſt cauſa agens in intellectu noſtro intrinſeco, qui eſt reſpectu illius potentia. Et ſe habet ſicut potentia ad actum. nam per coniunctionẽ ſuam cum illo actu, cognoſcit res,& perficitur in vltima perfectione; ideo ſicut eſt agens reſpectu paſsibilis, eſt patiens reſpectu agentis extrinſeci, ſed patitur perfectiuè. Ideò dicit poſtea Auerr. Proportio præparationis intellectus materialis ad intellectum adeptum completum, eſt ſicut proportio animæ ad intellectum materialem.c.3.appellat materialem vt dixi, quia poteſt perfici,& eſt in potentia, ſicut ad perficiendum. Quoniam, ſicut ait cap. quarto, virtus rationalis hominis nõ eſt ipſa eadem enſe intellectus in actu, nec per naturam ſuæ eſſentiæ, ſed intellectus agens reducit eam in intellectum in actu;& concedit, quod alia ſunt ſibi intelligibilia in actu. & cum rationali virtute acciderit, ut ſit intellectus in actu, aſcendet tunc ad aſsimilitudinem rerum abſtractarum,& intelliget ſuum eſſe.& tũc intellectus, intelligibile,& intelligens, erunt vnum,& idẽ in hoc, & reducitur in eſſentiam gradus intellectus agentis, & erit vnum in eſſe, ſed tria in diſpoſitione. Vnde per hæc verba oſtendit Auerr. quod in anima rationali nõ eſt virtus, per quam poſsit fieri intellectus in actu, ergo datur in ipſa tantum intellectus in habitu, qui eſt diſpoſitio quædam ad intellectum in actu ſcilicet agentem extrinſecum vniuerſalem lumen omnium intellectuum hominum; qui facit, quòd homo acquirit in hac vita intellectum in actu,& poſt mortem adeptum. Nulli igitur dubium erit, quod homo non poſsit omnia in hac vita cognoſcere,& abſtracta contemplari proprio intellectu, ut vera, lumini diuino, ſecundum ueritatem in hac vita, ra-

Auer.c.3.

Auer.c.4.

rò,&

mum, quemadmodum Cœlius, & Saturnus noſtri progenitores aſſurgunt. hæc eſt extaſis, mors ſanctorum, & animæ interitus, quæ fit per copulationem agẽtis intellectus noſtri cum lumine diuino, vt diximus. Quod Plotinus cognoſcens dicit. Anima rationalis per intellectum ſuum menti diuinæ, & per hanc Deo ſcilicet Patri luminum copulatur. & Mar. il. Fic. in quartum lib. debent ait. Rationalis natura beatitudinem conſequitur, quando intellectu formatur, & agit id eſt intellectu agente extrinſeco, et lumine diuino. Ideo idem eodem libro dicit, qui habet intellectum actu beatus, eſt ſignum, quia nihil appetit vltra, & quinto libro dicit. Rationalis anima formatur mente propria, & hæc mente communi. ideſt formatur proprio agente, & lumine, per quod acquirit omnes ſcientias ſpeculatiuas, & hæc mente cõmuni. ideſt et agẽs ſuum proprium formatur agente vniuerſali. & tunc anima intellectu illuſtrata in actu, eſt omnia intelligens. Vnde illud Iamblici ex mente Aegyptiorum animæ intellectualis eſſe eſt intelligere Deum, atque diuina, ita quod per intellectum proprium aſcendit ad communem mundi opificem, & hic finis eſt animæ verus ſcilicet illuminari mentis lumine, per quam Deum ineffabiliter quocũq; modo poteſt cognoſcit, ut per proprium lumen cognoſcitur Sol. & qui velit vltra procedere in idem relabitur, ita quod animus diuinorum contemplator, iam eſt in patria. actiui homines nondum ſunt, ſed exulant facilè reuerſuri, voluptuoſi penitus exulant. Idem in libro de Myſterijs loquens, de hoc intellectu vniuerſali ait, Cum animus ſe coniungit mundo intelligibili, tunc eius phantaſmata illuſtrata etiam in corpore proſpiciunt; ita quod ponit dari hanc cognitionem rerum abſtractarum. & in hac vita, quam cognitionem ſecundo libro de ſecta appellat mortem, dicens, Mors non eſt aliud, quam animæ a corpore liberatio, hanc aſſequitur philoſophus, & maxime ſolus dignus eſt. corpus enim ſapientiam impedit ideſt cum a phantaſmatibus liberamur, & copulamur lumine diui-

Plotinus.

M. F in 4. l. de beat.

M. F. eodẽ li.

M. F. 5. li.

Iamblic.

Iamblicus de myſt.

Idem 2. l. de ſecta.

no, dicitur mors, & corporis liberatio, quæ propria philoſophi eſt, & hæc vera hominis vita eſt. Sed quoniam pauci ſunt qui inueniunt eam, dicitur, quod anguſta porta, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. debemus igitur ipſam quærere, ne in tenebris remaneamus. quoniam, vt ait Auguſt. ad Ianuarium, & ſuper Pſ. 74. & Ambroſius ſuper Pſ. Beati immaculati. & Hieronymus in tertia Epiſtola ad Epheſ. & Gregorius in Iob. Anima a Deo recedens obſcuratur, & ad illum rediens illuminatur. Et debemus ſanctitate, & iuſtitia hanc fœlicitatem adipiſci. quoniam, vt ait Iſaac iſraelita, in lib. quem de diffinitionibus conſcripſit. Cauſa finalis hominis ſpiritualis eſt, vt animæ cum corpore ſint ad hoc, vt homini manifeſtetur veritas rerum particularium, & determinet inter bonum, & malum. & faciat quod expedit viuens in ſanctitate, & iuſtitia quouſque remuneretur, & coniungatur ſplendori intelligentiæ, & pulchritudini ſapientiæ. Manifeſtum igitur fecimus per antiquos philoſophos, dari lumen ſupranaturale, & hominem illud adipiſci poſſe in hac vita; ſed parum durat. & quoniam tale eſt lumen veritatis, ideò cũ nõ ſiſtat in aliquo viuentium, dicitur, quod in die ſepties cadit iuſtus. & hæc receptiò luminis in multis manifeſtatur per ſomnia, vaticinia, furores, prophetias, excitationeſque animi, & omnes abalienationes rectas animi a corpore. cum igitur tale lumen ſemper ſit cum Chriſto, qui ſequitur ipſum, id adipiſci poteſt, & non aliunde. nam firmatur influxus diuini intellectus in anima prima, quæ illud poſtmodum reliquis largitur, ſecundum eorum capacitatem; ita ut ſint multæ, quæ ui fulctæ rationali ſuperiorem influxum non capiunt. & hic eſt ſpiritus, quem nemo ſcit vnde ueniat, aut quo uadat. quem nunquam legimus ſtantem, ſed pertranſeuntem, præterquam in uirga Ieſſe, in qua dicit propheta: & ſtabit ſuper eam ſpiritus domini, quę eſt anima Chriſti, quæ lumen reliquis impartitur. hoc igitur lumen, quod in anima Chriſti ſtabile, & firmum ſemper eſt, influit in omnes animas, ut ſolis lumen

Aug. ad Ianuarium, & ſuper pſ. 74. Ambr. Hier. Greg. Iſaac Iſraelita.

in omnes ſtellas,& cæteras mundi partes,homo illud non totum,ſed partem quandam recipit; & quandoq; magis, quandoque minus. & quidam plus quàm alij, ſecundum uarias diſpoſitiones. omne enim quod recipitur ſecundũ modum recipientis recipiatur, dans ſemper dat. & ſicut ſol ſemper effundit lumen, quanquam a nobis nō ſemper uideatur, & a luna non ſemper recipiatur. & hoc lumen eſt illud intellectus agens, qui dicitur ſemper circa animam,& in animam agere,quanquam non ſemper aduertat.& hoc accidit non ratione intellectus,ſed animæ, quæ ad aliud intenta,ut diximus, puta uegetationi,ſenſui, uel phantaſiæ, non aduertit aſsiſtentiam, & operationem intellectus,neque ſe eleuat ad eius lucem. Ideò Procl.in primum Alcib.Plato. dicit, intellectus in nobis ſemper agit illuminando.nec tamen ſemper aduertimus. & hic eſt ſpiritus ſancti lumen in homine agens.quod,vt inquit Auc. in libr.de beat.animæ, animas beatificat, & continet id, quod dependet ab omnibus animabus receptiuis beatitudinis.id autem,quod dependet ab illis,quę ſcilicet ſunt receptiuæ beatitudinis,eſt omnis operatio,ſecundum ſpiritum,ideſt ſecundum dona,& gratias ſpiritus ſancti.& hoc lumen ad homines contractum, non eſt ipſe Deus, cum ipſe ſit abſolutus, & ab omni contractione ſeiunctus. ſed eſt lumen diuinum,ideſt Spiritus ſanctus in homine, ideſt numen in hominem deſcendens, quæ diuinitus ponitur ab Auerr.& Auenazar, ut diximus in tertio gradu entis, poſt intelligentias, ſcilicet. Nam in primo dicunt, quod eſt Deus,in ſecundo intelligentiæ; in tertio intellectus agens,ſcilicet anima illa Chriſti, quæ continet formaliter omnes animas,& quæ totum hoc lumē Dei recipit, & per ipſam in nos deſcendit.& hoc fecerunt,quoniam crediderunt animas omnes ab æterno eſſe creatas. Vnde in Deo lumen iſtud,ut diximus,eſt in eſſe cauſali, in anima Chriſti formaliter,in animabus noſtris participatiuè, & ſic dicitur Spiritus ſanctus participatus. Deus enim eſt ſol uniuerſaliſsimus dator, & effuſor omnis luminis, ſicut dice-

Procl.in primũ alcib.plat.

Auer.l.de beati.aiæ.

Iacobus.

 bat

Heracl. Iamblicus

bat diuinus Iacobus pater luminum; & vt dicit Herachlitus, a quo omnia quæ lucent lumen recipiunt. quod lumē primò recipitur totum in anima Chriſti; & per ipſum deſcendit in hominem. Vnde, cum anima noſtra coniungitur huic lumini, fertur in Deum, & tota Deus fit; ita vt nō amplius homo, ſed Deus in homini uiuat per Chriſtum; & operatur omnia, ut de vaticinantibus exprimit Iamblicus dicens, eos Deum habere pro anima. Per hoc lumen nos in natura conſtituti, ea, quæ ſupra naturam ſunt cognoſcimus, ac inferiora quæque intelligimus; atque non modo ea, quæ ſunt, & quæ fuerunt: verum etiam eorum, quæ maximè fiunt, & quæ longè poſt futura ſunt, aſsiduè recipimus miracula. Hinc naturæ dominamur, & operationes mirificas, ſubitas, & arduas efficimus. Hinc nobis obediunt manes, turbantur ſydera, coguntur numina, ſeruiuntque elementa. Per hoc lumen imperamus elementis, pellimus nebulas, uentos citamus, nubes & pluuias cogimus, morbos curamus, & mortuos ſuſcitamus; quæ omnia apud uarias gentes facta fuiſſe canunt Poetæ, recitant hiſtoriæ, atque ea ipſa fieri poſſe ſplendidiſsimique philoſophi vna cum Theologis confirmant; ſic Prophetæ, ſic Apoſtoli, ſic cæteri uiri Dei hoc diuino lumine claruere. Reijciantur igitur opiniones illorum, qui dicebant animam vnitam corpori poſſe intelligere ſubſtantias ſeparatas; & quod eſt hæc ultima fœlicitas non eo modo, quo peruenimus ad intelligendum alia intelligibilia per definitiones, & demonſtrationes, ſed per continuationem intellectus agentis nobiſcum: quoniam aduerſantur noſtris principijs, Ariſtoteli, veris philoſophis, & denique veritati. Ponunt enim intellectum agentem hominis ſubſtantiam ſeparatam. quæ ſubſtātia cum intelligat ſubſtantias ſeparatas, cum unitur nobis, facit nos intelligere illas. Vnde volunt, quod intellectus poſsibilis, cum receperit omnia ſpeculatiua, tunc accipiat intellectum agentem, & ſic intellectus agens apud ipſos, eſt quaſi forma iſtius intellectus ſpeculatiui, per quem intelligimus non ſolum natu-

ralia,

ralia,ſed ſubſtantias ſeparatas.hoc enim eſt falſum : quoniam in homine eſt proprius agens intellectus per philoſophum,per rationes,& per tot,atque tantas authoritates comprobatus.per quem intellectum agentem proprium, cum in ipſa anima ſint omnium rerum ideæ,homo poteſt omnia cognoſcere,& ſubſtantias etiam ſeparatas,non ſecundum ueritatem : ſed ut vera , ſicut nicticorax & Aquila ambo uident ſolem,ſed nicticorax cœcutiēdo, & Aquila dirigens oculos in eius aſpectum. Reiicitur

Reijciatur etiam opinio illorum , qui ponunt intellectum poſsibilem incorruptibilem dicentes,quod intellectus poſsibilis poteſt intelligere intellectum agentem, & alias ſubſtantias ſeparatas, quoniam etiam ipſi ſunt contra Ariſto. & noſtra atque verorum philoſophorum principia ponentes intellectum agentem non eſſe intrinſecū, ſed quandam ſubſtantiam, etiam ipſi ſeparatam,cum iam demonſtratum ſit in eadem natura eſſe agens , & patiens. Alia opi. Reiicitur.

Opinio uerò illorum poſtea , qui poſuerunt intellectum poſsibilem,& corruptibilem, & quod nullo modo poteſt intelligere intellectum agentem,neq; ſubſtantias ſeparatas,omnino damnabilis eſt,vana,& abſurda, negans ſenſum,rationem,& intellectum. Alia opi. Reiicitur.

Et quando Sanctus Thomas dicit,quod anima intellectiua humana ex vnione ad corpus habet aſpectum inclinatum ad phantaſmata : vnde non informatur ad intelligendum aliquid , niſi per ſpecies a phantaſmatibus acceptas,& huic conſonat dictum Dyo.in 1.Cap.cœleſt.Hier. Dicit enim, quod impoſsibile eſt lucere diuinum radiū, niſi uariatione ſacrorum uelaminum circumuelatum; & ſic cum ſubſtantiæ ſeparatæ excedant proportionem horum intelligibilium,ideò non poſſumus eas quidditatiue cognoſcere, ſed quod ſint , & dū cognoſcimus , quia ſunt cauſæ excellentes,ſcimus de eis,quia non ſunt tales, quales ſunt earum effectus.& hoc eſt ſcire de eis magis, quod non ſunt,quàm quid ſunt. Dico pace tanti viri,quod talis opinio ſtare non poteſt:quoniam fundatur ſuper falſi- Obiectio S.Th. & Dyoniſii. Reiicitur

tate principiorum, quoniam quando credit Sanctus Thomas, quod ſine phantaſmate homo in hac vita intelligere non poſsit, eſt in errore. quamuis Ariſto. in 3. de anima dicat, quod anima ſine phantaſmate nihil intelligat. arguēs per phantaſmata ſubſtantiæ ſeparatæ non poſſunt intelligi, ergo anima vnita corpori non poteſt intelligere ſubſtātias ſeparatas. iam ſuperius multis in locis declarauimus, quomodo homo poteſt ſine phantaſia, dum eſt in corpore, intelligere. & quomodo Ariſto. intelligit propoſitionē illam, ideò non amplius repetemus, ſed alio modo ſuam opinionem infringemus. Quoniam intelligere cum phātaſia, uel eſt per accidens, uel neceſſario. ſi eſt per accidēs, igitur poterit etiam non ineſſe, ergo Gregorio viuenti poterit non ineſſe. ſi autem neceſſario eſſet cum phantaſia, ergo etiam poſt obitum intelligeret cum phantaſia. quia quod per ſe ineſt, ineſt omni ſubiecto, & in omni tempore. quod ſi dicas intelligo ineſſe in omni tempore, donec eſt in hac vita. Dicam, quod gloſa nulla eſt, ſicuti nulla erat gloſa antiquorum, ut ait philoſ. primo poſt. dicentiū ſcis omnem dualitatem eſſe parem? & hanc oſtendentes gloſabant, ſcio quam noui dualitatem eſſe parem, & tamen non valebat; quare dico, quod ſi eſſet eſſentiale, ſibi competeret per propriam naturam. conſequenter quocūque tempore, modo hoc eſt falſum, etiā apud ipſos Theologos, quod poſt obitum intellectus intelligat cum phantaſia. Vnde cum intelligere cum phantaſia, non inſit neceſſario ipſi intellectui, ſed per accidens, per accidens autem aliquando poſsit non ineſſe, ſequitur igitur, quod homo in hac vita poterit cognoſcere omnia aliquando, & ſubſtantias ſeparatas, & circa authoritatem Dionyſij dico, quod loquitur de homine imperfecto. quoniam in libro de diuinis nominibus habet hæc verba. Animus noſter partim habet intelligendi virtutem, per quam aſpicit intelligibilia, partim vnionem mentis naturæ præcedentem, per quam Deo iungitur, ergo ſi poteſt iungi Deo aīus noſter, ergo poſsibile eſt diuinum lumen haurire, & per

Dyonif. in l. de diu. noibus.

con-

conſequens omnia intelligere. Dicendum igitur erit, ſecundum rei veritatem, quod homo in hac vita per proprium lumen poteſt cognoſcere omnia, ut vera, per lumẽ ſupranaturale omnia ſecundum veritatem, nec hoc apud ſapientes dubium eſſe debet, quoniam & ſi arguat maximam difficultatem, non tamen arguit impoſsibilitatem. quoniam nihil eſt fruſtra in rebus. fruſtra autem cauſatur eſſe intelligibile, ſi a nullo intellectu intelligatur. ergo omne quod poteſt intelligi, homo intelliget, & præcipuè ſubſtantias ſeparatas, cum ſint intelligibiles. nec valet dicere, ſubſtantiæ ſeparatæ intelliguntur a ſubſtantijs ſeparatis, quamuis ab intellectu noſtro non intelligantur, ſecundum, quod eſt corpori vnitus. Quoniam nulla forma naturalis eſt, quæ propter vnionem cum ſua materia impediatur, quin fungi ualeat operatione ſua. quemadmodum ignis forma vnita cum materia ignis non impedietur, quin ſurſum aſcendat: aliter ſi impediretur, ſequeretur, quod talis vnio non eſſet naturalis neque eſſet in materia naturaliter. cum igitur non ſit dicendum, quod a materia impediatur, quinimmò materia illa magis accommodat, ut melius formæ exercere poſsint operationes ſuas: ſequitur, quod intellectus etiam humanus, cum reperiatur in Gregorio naturaliter, quod non debet impediri, quominus uti poſsit propria ſua operatione perfectiſsima, quæ eſt intelligere abſtracta per eſſentiam. Vnde intellectus agens non debet impediri in Gregorio a materia Gregorij, quin fungatur ſua propria operatione. ergo anima non impeditur ab intelligendo ſubſtantias ſeparatas, per hoc, quod vnitur corpori, quod eſt propria eius materia. Quomodo, quæſo, intellectus humanus perueniet ad terminum, ut ſcilicet totaliter ſit ſciens actu, niſi omnia intelligibilia intelligat? item quæ præcipue ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ? Nec eſt dicendum, quod per gratiam hoc poſſumus adipiſci, & non per naturalia, nec inquantũ homines. quoniam dico, quod ſecundum Ariſtote. in 10. eth. vltima fœlicitas conſiſtit in operatione nobiliſsimæ

Obiectio
Reſponſio

Obiectio
Reſponſio cũ Ar. 10. eth.

Dico,quod argumentum arguit ſummam difficultatem non autem impoſsibilitatem. quæſtio verò eſt circa poſsibilitatem,vtrum poſsit eſſe, necne.quod autem ſit poſsibile, per omnes philoſophos probauimus, & per multas rationes,& etiam per propriam naturam intellectus Nã cũ in Gregorio reperiatur per Ariſt. vnus intellectus,qui poteſt omnia fieri,& alter,qui poteſt omnia facere, vt toties diximus: ſequitur igitur, quod poſsit eſſe omnia.etſi non reperiatur homo ita perfectus, ſufficit, quod poſsit eſſe. Innatum eſt enim nobis per effectus cauſas cognoſcere.oportet autem aliquos effectus ſubſtantiarum ſeparatarum in rebus ſenſibilibus, & materialibus eſſe, cum omnia corporalia a Deo per Angelos adminiſtrentur, vt patet per Auguſt. in tertio de Trinitate. Poteſt igitur anima vnita corpori; per ſenſibilia, ſubſtantias ſeparatas intelligere.nec eſt dicendum, quod effectus ſunt deficientes, quoniam quamuis in eo, quod effectus defectibilẽs ſunt: tamen cum facti ſunt intelligibiles,facti ſunt perfecti potentes facere cognoſcere omnia,vt vera ſunt. Præterea, nonne mens intelligit ſe, & amat ſe? non ne ipſa eſt de natura ſubſtantiarum abſtractarum?ergo vnita corpori, ipſas ſub ſtantias ſeparatas poterit intelligere. Et dicere,quod nõ intelligit directè, nec eſſentiam ſuam directè apprehendi. Dico, quod proprio lumine, & per propriam formam ipſius agentis intellectus intelligit ſe, & fit actu. & quoad modum ſuæ apprehenſionis, directè intelligit omnes eſſentias.rerum, vt vera ſunt, quoniam talis intellectus reſpectu agentis vniuerſalis extrinſeci,vt diximus,dicitur intellectus in habitu, quia diſpoſitus eſt ad intellectionem omnium rerum ſecundum veritatem, & non vt vera ſunt. quæ fit per copulationem luminis naturalis, cum ſupranaturali, ut diximus. Item anima intellectiua etiam vnita corpori abſtrahit quidditatem a rebus habentibus quidditatem; & cum nõ ſit in infinitum abire,neceſſe eſt, quod perueniat abſtrahẽdo ad aliquam quidditatẽ,quæ non ſit res habens quidditatẽ,ſed quidditas

Reſponſ.

Obiectio

Reſponſ.

Alia ra.

tas

tas tantum. Cum ergo ſubſtantiæ ſeparatæ, nihil aliud ſint, quàm quædam quidditates per ſe exiſtentes, videtur, quod anima intellectiua vnita corpori intelligere poſsit ſubſtantias ſeparatas. Nec eſt dicendum, quod quidditates abſtractæ a rebus materialibus, non ſufficiunt, vt per eas poſsimus cognoſcere de ſubſtantijs ſeparatis, quid ſunt: quoniam contrarium eſſe ſuperius declarauimus.

Auēpace Auēpace autem dicit, intellectus humanus corpori continuus eſt natus intelligere intelligibile, cuius quidditas

Themiſt. eſt vna numero apud omnes, ergo intelligere poteſt ſubſtantiam ſeparatam a motu, & a materia. Themiſtius, in tertia ſuæ Paraphra. de anima cap. 52. Videtur enim intellectus materialis etiam facultate hac præditus proculdubio, vt res penitus abiunctas a materia poſsit intelligere.

Alex. Præterea Alexander, intellectus materialis habet in ſe in potentia receptionem intellectus abſtracti, ergo aliquando reducitur ad actum in aliquo indiuiduo ſpeciei hominis. Idem, intellectui potentiæ poſſunt accedere omnia media ad intellectum ſeparatum addiſcendum, quoniam poteſt acquirere intellectum in habitu, qui eſt via, & medium ad illum abſtractum. ergo poſsibile eſt, vt aliquando attingat finem. Cum iam manifeſtum ſit, quomodo homo in hac vita proprio lumine poteſt omnia vt vera cognoſcere, & quomodo dum eſt in corpore, poteſt ad lumen ſupernaturale conſcendere, & eadem ſecundum

Exhortatio. veritatem intelligere. Vos igitur viri ſtudioſiſsimi in ueſtrum cognitione laborate. Nam in uobis omnia cognoſcetis, & in Deum totam cogitationis aciem figite, ut illũ ſolum tota mente colentes, voſmetipſos præceteris agnouiſſe, & amauiſſe videamini. Nam & ſapientes omnes illum a ſapientię adytis prohibent, qui in ſeipſo omnia rerum ſemina, miraculorumque poteſtatem non agnouerit, Deusq; illum a vita excludit, qui ſe ad vitam electũ non intelliget. Sequimini ergo dictamen rationis, & intellectus, & non illam voluptatem, quam ſtatum perfectiſsimum hominis eſſe dixerunt Ariſtippus, Eudoxus,

Philoxenus,

Philoxenus, Sardanapalus Rex Aſſyriorum, Xerſes Rex Perſarum, Epicurus, & alij infiniti. hæc enim videntur ap petibilia, expetenda, eligibilia, & augere bonitatem, ſed deuiant hominem à ratione, & intellectu, & faciunt ipſum totum ſenſualem. O voluptuoſi, qui intellectum deſpicitis. Nonnè videtis, vt Critolaus Peripateticus dicit, quod volupras ſenſualis eſt malum? Nonnè parit iniurias, deſidias, obliuiones, & ignauias? Quis enim impedit Prudẽtiam, & quis, vt Tullius dicit, deſtruit Fortitudinẽ, Iuſtitiam, & Temperantiam, niſi voluptas, quæ omni virtuti inimica eſt? Quare ſequi quod etiam pecoribus, ac beſtijs commune eſt? Nihil enim, vt ait Ariſt. quod quæritur a pueris, & beſtijs bonum eſt. Non enim, vt Cicero, Seneca, Auicenna aiunt, ad hoc nati ſumus vt cibum, po tumque percoleremus. Quomodo enim voluptas poteſt eſſe bona, & ab aliquo laudabilis, ſi ipſum mala ferè infinita ſequuntur? Vnde nã mœrores proueniunt, ut Plautus? Vnde peſsima morborum genera, vt Hippocrates? Vnde breuitas vitæ, ut Galenus? Vnde ſenſus obtuſus vt Hieronymus? Vnde dolores, ut Horatius? & denique vnde beſtiales natura, & nõ humana, niſi a uoluptate ſenſuali, quæ omnium malorum origo eſt? Reijciantur ergo omnino, qui uoluptatem ſenſualem inſequuntur, & etiã qui uoluptatem contemnentes, ſolam gloriam extremũ hominis ſtatum extimarunt; quoniam eſt præmium bene operantium, ut Themiſtocles Athenienſis, Demoſthenes, Romani, Græci, ac Barbari Imperatores. Qu bus etiam applaudere uidentur Silius, Cicero, Valerius Flaccus, & Horatius, qui dicunt, quod gloria eſt finis ultimus. Quomodo quæſo gloria erit hominis fœlicitas, ſi in hominis poteſtate non eſt? & alterius gratia appetitur? Nonnè fœlicitas, eſt forma fœlicis, & honor eſt honorantis, & non honorati? Quare igitur glorioſi hoĩes dicentur fœlices? O Gloria, gloria, quid aliud, ut Tragicus Poeta, quàm aurium inflatio magna? Spernite eam, ſicut Democritus Abderites, & Seneca, qui ignoti urbi, & omnibus moriũtur,

tur, exiſtimantes illam eſſe ueram gloriam, intelligere, & ſapere. Stulti, & dementes etiam ſunt illi, qui hominis ſtatum in potentia ponunt, vt Anaxarcus: quoniam per ipſam Deo in gradu approximatur, & ſibi aliisque ſufficit, per ipſamque honoratur, & finis eſt omnium vigiliarum, ac omnium actuum. Nonnè in potentia regni eſt miſeria admixta? Nōne labores, curæ, & negocia, quæ perturbāt principes? In fœlicitate enim nulla cadit perturbatio: nō caduca, & mortalia, ſed æterna, & immortalia ſemper intuetur. quare totaliter a ſeipſis elongauerunt illi, qui in diuitiis ſtatum hominis poſuerunt, quoniam per ipſas omnia habere poſſumus, & deſiderium noſtrum circa pecunias eſt infinitum, quarum diuitiarum multa dicunt Horatius, Euripides, Seneca, Bians, & Pithius Bithinicus. O diuitiæ omnis auaritiæ origo, quomodo quæſo acquiruntur? Nonne per fraudes, & violentias? non enim propter ſe, ſed ad aliud. Nonne ſæpe nocumētum inferunt habentibus? Multi nanque perierunt diuitiis. quare uos qui intellectū pro duce habetis, ipſas ſpernite, ne uos in intelligendo, & philoſophando impediāt. Imitamini Senecam, Anaxagoram, Socratem, Zenonem, Democritum, Anaxagoram Clazomenium, Taletem Mileſium, qui, vt quieto animo literis incumberent, bona ſua donauerunt. Qui verò in bonis corporis ſtatum hominis eſſe dixerunt, ut Carneades, quoniam ſanitas eſt res homini optima: quia conſeruat eſſe; & omnium terribiliſsimum eſt mors, ergo optimum oīum eſt viuere. ēt iſti aberrarunt, qm̄ bona corporis ad alia ordinantur. & amplius ſanū, pulchrum, viuacē, & robuſtum cōtingit eſſe fatuū, ſed fęlicē eſſe fatuum eſt impoſsibile. Illi verò, qui dixerūt, hoīs vltimum ſtatū conſtare in bonis animi, corporis, & fortunæ: in quorum numero plures eſſe narrat hiſtoria, Lucius Metellus, Auguſtus Diuus, Solon, Cleobin, & Bithon. & ratio horum eſt, quoniam virtutes, fortunę bona, & corporis faciunt vitam beatam. contrarium contrariū. hæc opinio a Seneca refellitur, quoniam ſine aduerſis fortitudo non acquiri-

tur.

tur. & quoniam nihil videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi. licuit enim illi ſeipſum experiri, & ſic continuè contingeret fœlicem mutari in miſerum.

Ecce quomodo homines abutentes ratione, & relinquentes intellectum, amiſerunt veram fœlicitatem, quæ non in gloria, non in voluptate, non in potentia, non in diuitijs, non in bonis corporis, & non denique in bonis animi, corporis, & fortunæ ſimul conſiſtit: ſed in cognitione ſummi boni, & in adeptione illius. ideò bene ſubgerias dixit, Deum eſſe hominis fœlicitatem. Nonne fœlicitas eſt quid optimum? nonne eſt ultimus finis? nône propter ſeipſam eligibilis? Non iam ad nullum aliud eligitur. Nonne omnia eius gratia eliguntur? Nonnè bonum, perfectum, pulcherrimum, delictabiliſsimum, & ſufficientiſſimum per ſe? & nonne deniq; principium bonorum, res diuina, & ſummè honorabilis? hæ enim ſunt fœlicitatis conditiones. ſed quis eas continet, niſi Deus? qui eſt finis optimus propter ſe eligibilis, ad nullum aliud ordinabilis, cuius gratia omnia eliguntur, bonus, perfectus, pulcherrimus, delectabiliſsimus, per ſe ſufficiens, honorabilis, principium, & cauſa omnium bonorum, quo felicitantur omnes, & in ipſo ratio totius boni, & entis reperitur. ſatiat intellectum, quietat volũtatem, eſt ſummus amor, vera voluptas, vera potentia, uirtus, honor, & omnia. ipſum igitur, religatis ſenſibus omnibus, tota ratione, atque mente, ipſum affectare, deſiderare, & appetere debemus. qui cum ſit pura eſſentia, tangit immediate, & perficit eſſentiam animæ, & non potentiam. quoniam ei correſpondere debet cum ſit perfectio ſimpliciter perfectibile ſimpliciter, quod eſt eſſentia animæ, & non potentia, ideo anima immediate ſuſcipit fœlicitatem, & non per potentias medias. quoniam aliter eſſet non per eſſentiam, ſed per accidens beata. Ideò ſicut materia prima per eſſentiam eius recipit realiter eſſentiam formæ, & non per potentiã diuerſam ab eſſentia; quoniam actus, & potentia ſunt vnius generis. ita & eſſentia animæ per eſſentiam recipit

Deum intentionaliter,& ſpiritualiter.ergo ſicut potentia materiæ reſpectu formæ ſubſtantialis, eſt eſſentia: ita potentia animæ,reſpectu beatitudinis,eſt eſſentia animæ, & ſic reijcitur eſſentiale medium,ſcilicet potētia, immo eſſentia ſeipſa perficitur Deo. Et ſi quis dicat,anima fœlicitatur,ſicut Deus, ut dicit Auerr. ſed Deus operatione voluntatis, & intellectus beatus eſt. ergo & anima. Dico, quod fœlicitatur anima,ſicut Deus, ſed Deus operatione propria per eſſentiam Dei, & anima per operationē, quæ eſt eſſentia Dei,& non per operationem, quæ eſt eſſentia animæ cauſatam ab anima.

Obiectio

Reſponſio

Præterea, ſi dicunt,ſi eſſentia animæ immediatè perficitur ab eſſentia primi entis, tūc felix eſſet,ſicut dormiens, & non operans; dico, quod felix operatur per eſſentiam Dei,& non operatione diuerſa. & ideò,non ut dormiens. Per ea igitur,quæ diximus, poſſumus deſtruere omnes rationes in contrarium, tanquam falſas, & præcipuè argumenta Alpharabij, quæ probant, quod viuente homine, non poteſt beari dicens, ſi felix eſſet aliquis in ſtatu mortali,tunc non uiueret per tres vel quatuor dies, quoniam non dormiret,non biberet &c.

Obiectio

Rō Alpharabii.

Dico, quod tunc pars ſenſualis verſa erit in partem intellectualem:& ideo operabitur, quantum ratio dictabit. dictat ratio,vt bibat quando oportet &c.& ſuſtentat corpus reſolubile,& quando dormit erit fœlix in habitu. Præterea,quando dicit,omnis fęlix immortalis,nullus in hac vita immortalis,ergo dico,quod homo, quamuis nō perpetuò viuat;tamē pro illo tempore dicitur fœlix,pro quo fœlicitatur,& ſic immortalis in hac uita, ſi tali fœlicitate viueret. ſed non eſt rationabile, ut in hac vita tali fœlicitate ſemper uiuat,cum animæ propria ſit non corporis,talis uita. Nec ualet dicere, ſi homo poſſet beari, ergo beatus,& fœlix poſſet fieri miſer. Qm̄ poſtquam regio vegetatiua, & ſenſitiua incentratæ ſunt ad regionē intellectiuā, reguntur ratione, & non facilè poſſunt deordinari. & quamuis corpus naturaliter repugnat beatitudini: tamē appe-

Reiicitur

Alia rō Reiicitur

Obiectio

Reſponſio

appetitus ſenſitiuus poteſtas ſui fieri intantum rationi, vt ab eo tollatur omnis inclinatio ad oppoſitum rationis, & ſic intellectus liberrimus erit, ac purus intellectus in eo quod intellectus. Et ſi quis diceret, Auerr. in vltimo q di uinorum ait, Ignorantia ſubſtantiarum ſeparatarum eſt in nobis, quaſi cœcitas. Dico, quod verum eſt, cum intellectus eſt imperfectus: ſed cum ſit perfectus, non eſt amplius ſicut oculus noctuæ, nec ut cœcitas: ideò quando dicunt, quod plus diſtat primum intelligibile ab intellectu potentiæ, quàm intellectus potentiæ a cogitatiua, ſed cogitatiua non poteſt apprehendere intellectum potentiæ, ergo nec intellectus potentiæ intellectum primum. Dico, quod cogitatiua formaliter non poteſt apprehendere intellectum potentiæ, ſed bene cauſaliter. Sic intellectus potentiæ, ut progreſſus non poteſt, ut perfectus poteſt apprehendere intellectum primum. Nec ualet dicere, intellectus potentiæ intelligit per modum abſtractionis a phantaſmatibus, ergo nihil intelligit, niſi hoc modo abſtrahendo, ſcilicet a phantaſmatibus, & per conſequẽs non intelligit formas ſeparatas. Dico, quod intelligit occaſione habita a phantaſmatibus, quando cum corpore operatur, ſed cum habeat omnes rerum idæas ſibi concretas proprio lumine, abſque occaſione etiam phantaſmatum intelligere poteſt. Ideò Themiſt. in tertio ſuæ paraphra. de anima cap. 5 1, & Simplicius in comm. 3. de anima dicunt, Intellectus potentiæ intelligit materialia abſtrahendo ea a materia, ergo maximè intelliget naturas in ſe abſtractas. Valeant igitur rationes imperfectæ Albeſaraach Babylonenſis, Auempaci Hiſpani, Mauri Auinaſaris, S. Thomæ, Aegydij, & aliorum qui opinati ſunt, quod nos hic non poſſumus ſcire ſubſtantias abſtractas ſcientia intuitiua: quoniam vt ſæpe diximus, poſſumus proprio lumine naturali Deum, & intelligentias cognoſcere, ut uera, & lumine ſupra naturali, & intuitiua ſecundum veritatem, & tunc homo dicitur fœlix, vnde Deus infœlici dicitur noua comprehenſio, nõ quod Deus ſecun-

Obiectio Auer. 9. diuinorum in ult.

Reſponſio

Obiectio

Reſponſio

Reſponſio obiecti.

Themi. in 3. ſuæ par. de aia c. 5. Simpl. in com. 3. de anima.

ſecundum ſe vel aliquid ſui permutetur, ſed quoniam aliud mutatur ad eum ob quod fit illi noua comprehenſio, & noua ſcientia, & ſic fœlix intelligit intellectione æterna abſolutè,& ſimpliciter licet dicatur noua pro quanto aliud innouatur ad illam. Ideò Auerr. in comm. 22. 9. met. 12.met.17.& tertio de anima 36.dicit.quod illa ſciẽtia qua ſapiens cõprehendit eſt Deus, Deus enim eſt ſibi, & fœlicibus comprehenſio, & æternus ſimpliciter, ideò ſcientia fœlicis æterna. Et quamuis Deus ſit independẽs. & ei tota natura obediat, nec ſit nexus in quo vniantur ſpiritualia cum corporalibus & homo econtrario ſit dependens, nec ei natura obediat, & ſit nexus ſpiritualium ſubſtantiarum cum materialibus,tamen homo Deo, aſsimilatur in duobus. Primo eſt omnia quoquomodo non ſecundum eſt abſtractum, ut Deus ſicut dicit Auerro. 12. met.com.18.in fine,& 36.ſed ſecundum eſſe concretum, non ſecundum eſſe abſolutum, ſed ſecundum eſſe contractum. Secundo eſt Deus, quoniam ſcit omnia quoquomodo, ſed non realiter, ut Deus, ſed ſpiritualiter, & ſic cooperatur operatione propria ſcibilib. ſpiritualiter, Deus verò realiter. O alta, o diuina, o honorabilis natura humana, o excellentem ſtatum. O perfectiſsimam vitam, o ſublimem fortunam. o admirabile opus, gaudeant fœlices quoniam tantum ſunt quantum reperiri poſſunt, ſunt enim viatores ad beatitudinem poſt mortẽ quæ amplius nõ eſt habilis propter eius copulationem cũ corpore, ſed hẽt ſecuritatem in ſtatu,& eſt firma,neceſſaria,impoſsibile aliter ſi habẽs,atq; ſempiterna. Triſtamini vulgares, ac ſenſuales cũ ueſtia apparẽti fœlicitate. Nonne videtis qđ in quolibet temporis momento pertranſit? Nõnè videtis quod mundi ignorãtia,ſimulato riſu, peſtiferis illecebris, veneficis lenocinijs, & falſis pollicitationibus vos decipit? Quærite quærite verſam mentis fœlicitatem quæ apud mundum ſtultitia, & apud Deum eſt ſapientia, hæc non uanos mortalium animos inflat, tumidoſque reddit, & ægros, non reddit homines incontinentes, ſuperbos, in iurioſos,

Qũo homo Deo aſsimiletur.

iurioſos,inuidos,contumelioſos,non ipſos ad odia concitat,ad inſidias pellit,& ad alia ſenſualia trahit.ſed ad ſanctitatem,iuſtitiam,& rectitudinem vitę,ac fruitionem diuinitatis deguſtandam. Amplexamur igitur veros philoſophos, atque Theologos, qui talem fœlicitatem nobis demonſtrant,ac edocent,& reijciantur affectantes Grammatici in punctis, in comis, in virgulis, & vocabulorum interpretationibus, ac poſitionibus verſantes, quoniam parum fœlicitatis deguſtant,& ſimiliter dialeſtici contentioſi deſcendant a rectè intelligentibus, intricatam enim & opinabilem tantum fœlicitatem deſcribunt. Taceant omnino Oratores, Rethorici, & Poetæ, cum ſuis fabulis anilis,ſuiſque verbis fictis, lenocinioque plenis, quoniã nihil ad finem hominis faciunt, & deniq; valeant omnes illæ artes quæ mentem totam occupãtes proculdubio fœlicitatem remouent.Si ergo mentem ſequemur quamuis innumera ſint impedimenta corporis, quamuis videatur improportio animæ dum corpus inhabitas ad veritatis lumen, & ad ſenſum,uel ſenſibilia anima prona ſit,tamẽ ab omnibus iſtis impedimentis liberari poteſt, & a corporis labe mundari,& mundata poſtea ad ſola incorporea, diuinaque, ut ſibi ſimilia tota intentione conuertitur, quorũ vberrima luce ad votum refulget, cunctaq; in ea clare diſcernit.Et hæc de cauſa finali, & per conſequens de explicatione partium totius definitionis in principio propoſitæ a nobis dicta ſufficiant.

Abbreuiatio Veritatis Animæ Rationalis.

De Perfectione definitionis iam explicatæ, omnes quæſtiones circa ipſam contingentes reſoluente.

Liber Septimus.

Epilogus oium ſupradictorũ & primo primi lib.

HVCVSQVE oſtdimus, quomodo eẽ ipſius animæ omnibus notum eſt, eiuſque eſſentia incognita, & quomodo antiqui philoſophi varia de anima dicentes, poſſunt ad ſenſum, rationem, ac intellectum principia in philoſophando realia reduci. cum omnis ueritas vna ſit, quæ deſcendens diuerſimode apparet, atque recipitur, & deniq;

quomodo

quomodo omnis philoſophandi modus, ad illa tria neceſſario reducitur.

Præterea demonſtrauimus ſub typo quodam, ad præcognitionem dicendorum, quomodo vna ſola anima in homine eſt, quæ ſecundum diuerſas potentias vario modo appellatur, deque eorum nominum multitudine. quo facto ſtatim ad intentum venientes propoſuimus veram ipſius animæ rationalis definitionem, & ipſam in ſuas cauſas reſoluentes, primò demonſtrauimus eſſe ſubſtantiam, non materiam, nō corpus, ſed formam, & quomodo vna eſt in eſſentia, habens multas facultates, per quas, & non re a vegetatiua, & ſenſitiua diſtinguitur. & quomodo omnes potentiæ in homine formaliter inter ſe diſtinguuntur, & realiter, ac cauſaliter in ipſa anima ſunt eadem. Deinde ad ſecundam partem ipſius cauſæ materiales accedentes, declarauimus quomodo talis anima dat eſſe ſpecificum corpori, ipſumque informat, nec corpori aſsiſtens tanquam intelligentia orbi, ſed tanquam forma in materia, quæ per eſſe ſuum informat totum corpus, & non per potentiam vel cogitatiuam, ſed per eſſentiam dat eſſe. Epilogus ſecundi libri.

Poſtea manifeſtauimus declarantes cauſam formalem, quomodo ipſa anima non eſt virtus in corpore, non organica, non mixta, ſed immixta a corpore ſeparabilis, ac independens; vbi per cōſequens diffuſius de animæ immortalitate loquuti ſumus, digredientes in defenſionem Alexandri circa immortalitatem ipſius animæ. & ne quis crederet eſſe immortalem, ſed vnam, vt poſuerunt impij, & ignari: ideò de eius plurificabilitate verba fecimus, ꝑponentes quædam ad talem cognitionem valde neceſſaria, ſcilicet declarantes in principio, Quomodo anima, & omne quod a Deo dependet ex materia, & forma conſtat, vnde reijcientes omnes aliorum opiniones, digreſsi ſumus in defenſionem Auer. circa vnitatem intellectus, quomodo ſcilicet anima poteſt eſſe vna numero formali, non numero compoſitiue. Comprobata plurificabilitate, & deſtructa vnitate, ad cauſam efficientem tranſeuntes, demō- Epilogus tertii lib. Epilogus quarti lib. Epilogus quinti lib.

ſtrauimus, Quomodo anima rationalis non ab intelligentia, non ab anima mundi, neque ab alio agente eſt, niſi a Deo Optimo Maximo. & non per generationem, vel productionem, ſed per creationem facta. & quomodo nō eſt creata ab æterno, nec ante corpus, nec poſt corpus. ſed quando generatur corpus anima, tunc creatur, & infunditur, cum deſtructione omnium opinionum aliter ſentientium. Et vltimo de eius fine nobiliſsimo multa, & quantū ſufficit diximus, & probauimus, quomodo cum ſit mediæ naturæ poteſt tota in altum conſcendere, & tota in profundum cadere. & in hac uita proprio lumine naturali cognoſcere omnia tam ſenſibilia, quàm intelligibilia, ut uera ſunt & lumine ſupernaturali eadem ſecundum veritatem, quamuis rarò, & poſt mortem adhuc eadem ſed ſemper, & in ſempiternum. Et omnia ſupradicta non ſolum per veros philoſophos Græcos, Arabos, atque latinos, ſed etiam per principem philoſophorum Ariſto. comprobauimus, unde ex eius, & aliorum dictis a nobis ſecundum propoſita noſtra recitatis poſſunt uidere homines intelligentes quomodo infinitis in locis ipſe Ariſtoteles, ſummiq́ue philoſophi rationales, aliquando & ſæpe viam intellectus ſequuti ſunt in omnibus rebus, & præcipue in demonſtratione fœlicitatis, & beatitudinis animæ. Cum igitur tot, & tanta diximus & ipſam definitionem a nobis propoſitam ſenſu, ratione, atque intellectu explicauimus, atque comprobauimus: ideò niſi ſit homo ſenſu mutilatus, rōne imperfectus, & intellectu obtuſus, & deniq; a ſapiētia reprobatus, veritatē, quā deſcripſimus, & dilucidamus, atq; amplectitur cōfitetur. Et qm̄ omnis bona definitio, apud ueros ſcientificos, non ſolum explicat eſſentiam rei, & eius proprietates declarat, atque demonſtrat: ſed eti. m omnes difficultates contingentes in ipſa reſoluit: ideò in hoc ſeptimo libro principales, atque præcipuas quæſtiones de anima, ab omnibus communiter requiſitas, per ipſam noſtram definitionem reſoluemus: ut neq; confuſi, diminuti, ſiue ſuperflui videamur: & etiā, ut quæ

Epilogus ſexti librī.

Intētio ſeptimi libri

ſcripſimus ſcientificè ſcripta eſſe quiſque comprehendere poſsit. cum non ſolum definitionis a nobis explicatio proponatur, eius proprietates demonſtrentur; ſed etiam vſus,& fructus ipſius manifeſtetur. Incipientes igitur propoſitum noſtrum dicimus,quod ſolet communiter quæri ab animaſticis.

Num ſcientia de Anima ſit nobilior,& certior cæteris ſcientijs.

Per cauſam formalem,& finalem noſtræ veræ definitionis poſſumus hoc quæſitum reſoluere. notandum primò, quod in hoc nomine ſcientiæ, non includitur Theologia Chriſtiana: quoniam hæc dicitur ſapientia,quæ ſupra rationem,& intellectum noſtrum res contemplatur, atque docet, & Theologia uel methaphiſica antiquorum philoſophorum circa intellectum noſtrum uerſatur, & ideò comparatiuè diminutè res cognoſcit. Cum ergo anima mediante poſſumus cognoſcere omnia, & omne quod dat omnium rerum cognitionem eſt nobile,& certum,ergo anima aliis nobilior, & certior erit, cum aliæ ſcientiæ hoc facere non poſsint.

Demõſtratur nobilitas, & certitudo aïe per cām finalem.

Per cauſam formalem idem confirmatur,quoniam ſi eſt independens.immortalis, & æterna, & nihil nobilius æternitate,nec certius immortalitate,cũ talia ſint neceſſaria per ſe,& aliter ſe habẽtia,ergo anima eſt nobiliſsima, atq; certiſsima. Nec eſt dicendum,quod Methaphiſica cũ tractet de Deo, ſit certior,& nobilior: quoniã tractat de Deo,quoad quid,eſt non ſecundum rationem,ſed intellectualiter.& quamuis per effectus,operationes, & rationẽ procedat,hoc non eſt,quia concludat aliquid quoad quid eſt,ſed tantum quoad ſit eſt.ideò quando dicit Ariſt.quod Deus eſt a quo cœlum,& tota natura dependet:hæc enim notitia Dei eſt per effectus,& non per eſſentiam. Scientia vero de anima vagatur per omnia genera certitudinum,

Demõſtratur idem p cām formalem.

quoad ſi eſt, & quid eſt per ſenſum, dico per rationem, & per intellectum ergo certior. Similiter quando in 8. phiſ. tractat de primo motore, tractat de ipſo, quoad ſi eſt per accidens, non autem per ſe, nec quoad quid eſt; ſed de anima tractatur, quoad ſi eſt, & quid eſt, quoad operationes, & quoad eſſentiam per ſe, & non per accidens. Vnde non benè Franciſcus Toletus dicit in ſuo 1. lib. de anima, quod Deus conſideratur in 8. phiſ. quoad motum, & non ſecundum eſſentiam. quoniam non intelligit cum alijs ordinem, & methodum Ariſto. qui poſtquam tractauit de natura, & de motu, eiusque ſpeciebus, reliquum erat tractare de proprietatibus ipſius motus. & quoniam inter proprietates motus erat videre vtrum motus mouebatur in infinitum, vel ceſſaret: ideò probat dari primum motorem per accidens, ratione explicandi proprietatem motus, & ſic non conſideratur ſecundum motum, ut velit explicare aliquid de Deo per motum; ſed e contra tractat de Deo gratia declarandi proprietatem motus; & ſic per accidens. ſimiliter ex hac mea dilucidatione patet error Caietani Thienenſis, qui dicit, quod in 8. phiſ. agitur de Deo ſub hoc formali, ut motor eſt. Dico, quod non vt motor, conſideratur, ſed ut terminus proprietatis motus, quæ deuenit ad vnum primum motorem, ne detur infinitum. ſed redeamus vnde digreſsi ſumus. Si dicerent, quod liber de cœlo eſt nobilior, quamuis poſſem reſpondere, quod cœlum non eſt animatum: tamen volo hoc ſupponere, & forſan tenere cum multis, & alio modo reſpondere, quod nō eſt nobilior; quoniam cęlum eſt cum anima colligatum, & animatum cœlo. ſed anima poteſt exiſtere per ſe abſq; corpore. deinde cœlum eſt, in perpetuo motu ſenſibili, qui motus indicat imperfectionem, reſpectu animæ: anima autem eſt ſine motu ſenſibili, quamuis ſpiritualiter moueatur. Vnde & ratione eſſentiæ, & ratione operationis anima eſt nobilior. Comparetur igitur ſcientia de anima ad alias philoſophiæ partes, ut Sanctus Thomas, Simplicius, Ioann. Grmmaticus, Aegidius, Tignaſius, & alij; uel

Reiicitur Caiet.

Obiectio
Reſponſio

uel ad omnes ſcientias,ut Auerroes, Albertus,Paulus Venetus, & vterque Caietanus, & alij, ſemper erit nobilior, & certior alijs. Quoniam,quamuis Methaphiſica habeat nobiliſsimum obiectum : tamen de ipſo nulla certitudo, vt diximus,quoad quid eſt, niſi ſecundum intellectum haberi poteſt,& de anima & quoad intellectum,& quoad rationem,& quoad ſenſum Similiter& Mathematica,quãuis habeat certitudinem,quoad rationem , anima habet quoad rationem,& ultra.Ideò bene dixerunt Albert.Magnus,Paulus Venetus,& Linco.1.poſt ca.23.quod demõſtrationes animæ ſunt ex ſe notiores, quã mathematicæ, quoniam non ſolum per rationem , ut matematicæ ſed etiam per intellectum , per oppoſitum Caietanus Thien. fuit in errore,quando dixit,quod quoad demonſtrationis a priori Mathematica eſt certior . iſte neſciuit diſtinguere rationem ab intellectu,demõſtrationis quæ ſunt a priori mathematicarum , ſunt per rationem fabricatæ , & demonſtrationes animæ per intellectum.Vnde cum intellectus ſit ſuperior, nobilior, & certior, ut diximus, ratione, ergo etiam ſcientia de anima erit ſuperior , nobilior , & certior alijs.Certitudo non ſolum eſt penes rationem,ſed ſenſum,& intellectum.cum ergo anima,& non aliæ ſcientiæ,ut diximus,vagetur per omnia hæc tria genera certitudinum,ergo certior cœteris,ſimiliter per eandem rationẽ Burleus,& Caietanus Cardinalis,quoad hanc partem fuerunt in errore dicentes,quod Mathematica vincit animã; quoad certitudinem. Per cauſam etiam materialem poſſumus comprobare hanc certitudinem ipſius animæ;quoniam ſi informat corpus , per quã informationem ſumus certi de vita hominis,ſed quid cuique certius , ut ait Simplicius Sanct.Thomas,& Aegid. quàm quod viuat , quod operetur,quod animam habeat,cum in ſe quiſque hoc experiatur.Ideò Ioan.Grammaticus rectè dicit,quod ſcientia de anima eſt certior: quia eſt de obiecto immaterialiori,quàm ſint reliquæ philoſophiæ partes. quam certitudinis ſpeciem ponit Ariſto.1.poſt cap.23.ideſt, quod anima

eſt certior, quia eſt obiectum, quod & quoad ſi eſt, & quoad quid eſt immaterialiter cognoſcitur, & cognoſci poteſt. Cum per cauſam materialem, formalem, ac finalem definitionis reſolutionem nobilitatis, & certitudinis ſciẽtiæ de anima explicauerimus, cum talis reſolutio non ſit extranea neque ſuſpecta, ſed a natura rei. ponantur igitur pro nihilo fundamenta Franciſci Toleti, in primo ſuo de anima, de diuiſione boni in delectabile, vtile, honeſtum, laudabile, & honorabile, & de diuiſione certitudinis, nobilitatis, & mirabilitatis ſcientiæ, ex diuerſis cauſis, & de ſcientia practicabili inclinãte ad cognitionem, cum ſuis quatuor concluſionibus. quoniam ſcientia de anima, reſpectu aliarum ſcientiarum (excipio ſemper Theologiam) de ſe, ut diximus, & ut ex noſtris dictis percipi poteſt, abſque tot & tantis diſtinctionibus, diuiſionibus, & concluſionibus, eſt bona, delectabilis, utilis, honeſta, laudabilis honorabilis, certa, nobilis, mirabilis, & inclinans hominem ad omnem cognitionem practicam, & ſpeculatiuam, rationalem, & intellectualem. Ideò bene dixit Ariſto. tex. 2. primi de anima. Videtur autem, & ad veritatem omnem cognitio ipſius, ſcilicet animæ multum conferre. quoniam utilis eſt ad omnes ſcientias, ad moralem, quoniam in animæ potentijs ſunt virtutes, & vitia; ad Methaphiſicam, quoniam eſt media natura, quæ de natura corporea poteſt ttanſire in naturam intellectualem, præterea docet, quid ſit intellectus, & intelligere, quæ ſubſtantijs ſeparatis inſunt, alio tamen modo. Ad mathematicũ, quoniam docet abſtrahere. Maximè autem ad naturam, ut ait ibi Ariſt. quoniam eſt vltima forma, ad quam peruenit, & in qua deſinit naturalis. dicat quicquid uelit Toletus de natura actiua, & paſsiua, extra mentem Ariſtot. & ſic ducit nos ad omne ſcibile, & ipſa indigent aliæ ſcientiæ quodammodo, & hæc ſatis. Secundò ſolet quæri,

Vtrum liber de anima præcedat

librum

librum de animalibus, vel ſit vltimus.

Per eandem cauſam materialem poſſumus definire hanc quæſtionem, quoniam ſi anima informat corpus, dat eſſe corpori, ex cognitioni corporis pendet, & tandem per corpus definitur, ergo cognitio, & conſideratio prior eſt, quæ traditur in lib. Animalium. & certè, quod hæc eſt opinio Ariſt. quoniam ipſe ſequutus eſt ordinem compoſitiuum, qui incipit à primis principijs, vſque ad principiata, & à cauſis vſque ad effectus; & dicitur ordo naturæ, quoniam dantur ſecundum ordinem naturæ in primis Principia, ſcilicet Materia, & forma, atque cœlum tanquam agens, deinde elementa mixta imperfecta, mixta perfecta, vegetabilia, ſenſibilia, & poſtremo rationalia, ergo ſecundum ordinem philoſophi, liber de anima eſt poſt libros de animalibus: quoniam talis ordo incipit ab imperfectioribus ad perfectiora. anima autem eſt quid diuinum, atque perfectiſsimum, ergo debet eſſe poſt librum animalium. & ſic benè Auer. 1. meth com. 1. dixit, animam obtinere vltimum locũ poſt animata. cui adſtipulantur Io. Grammaticus in Prologo de anima, & Alex. in lib. ſuo primo de anima, cap. 2. Nonnè materia debet præcedere conſiderationem formæ. cum illa ſit prior? nonnè partes, & organa ſunt materia ipſius animæ? quare ergo non debet præcedere? Notiora nobis ſunt ſemper prius tradenda, ideò cum liber de animalibus ſit notior, erit etiam prior. quam opinionem, & veritatem confirmans Ariſt. in de longit. & breu. vitæ dicit, quod traditis illis paſsionibus, erit abſoluta doctrina animalium, quaſi animalia iam ſint tractata ante parua naturalia, ergo ante animam, quoniam liber de anima coniunctus eſt cum paruis naturalibus. Non rectè igitur Auic. fecit ponere librum de anima in ſexto loco ante libros de animalibus, & ſimiliter fuerunt in erro-

re Alber. Magnus. 1. Phiſ. tract. 1. cap. 4. & q. 1. de homine, & lib. 1. animalium cap. 1. Similiter S. Thomas in procœmio de anima, & in Prologo phiſ. & Aegydius in prologo phiſ. & Apollinaris, & denique omnes Latini ſimul cũ vltimo Franc. Toleto, qui ponit cum ipſis hanc concluſionem, quod liber de anima anteponendus eſt libris de animalibus, & planctis. & profitetur hoc velle probare ordine doctrinæ. Excuſo illum cum Latinis: quoniam vt demõſtrauimus in Nouo Lumine, ignorauerunt ordines, & methodos, & ideo in multos errores ceciderunt. Dicit enim, Principia, & cauſæ ſunt prius tradenda ordine doctrinæ, ſed anima eſt principium animatorum, ergo ipſius conſideratio prius eſt tradenda. & probat minorem per Ariſt. qui dicit, quod anima eſt principium animalium, id eſt animatorum. Vltimo dicit Toletus, hoc eſt argumentum Alberti; iſti boni viri ſequuntur potius ſcriptores, quàm veritatem, & rationem. credunt reſoluere quæſtiones, quando citant aliquem authorem. Peterem ab Alberto, & a Toleto ſuo defenſore, ſi principia ſunt prius tradenda ordine doctrinæ, cum dentur principia materialia, & formalia, quænam debeant prius præcedere. dubium non eſt, quod materia præcedit formam, ergo liber de anima non eſt anteponendus libris de animalibus. cum anima ſit principium non materiale, ſed formale. & ſic Ariſt. benè dixit, animam eſſe principium animatorum, ſcilicet formale. Argumententur nunc, Anima eſt principiũ formale, ergo debet præcedere; ecce quomodo non ſequitur amplius ſua conſequentia, & ecce quomodo non aduertentes dicta Ariſt. & ignorantes ordinem, conãtur maiori parti, & veriſimiliori condeſcendere. Similiter quando S. Thomas dicit, quod communia ſunt prius tradenda, & anima eſt omnibus animatis communis, ergo prius tradenda. ſoluitur hoc ſuum argumentum per eandẽ reſponſionem: quoniam anima eſt communis omnibus animalibus, quoad formam, non quoad materiam. ſed quæ ſunt communia, quoad materiam nõ quoad formam in ordi-

ne

ne doctrinæ prius tradenda ſunt. Arguunt tertio, & credūt eſſe demonſtrationem, dicentes; liber de anima continuatur cum libro paruorū naturalium, vt patet de ſenſu, text. 1. & liber paruorum naturalium antecedit libros de animalibus, ergo etiam liber de anima. probant minorem. Paſsiones communes ſunt tradendæ prius, quàm particulares, ut notum eſt. at liber paruorum naturalium eſt de paſsionibus communibus tum omnibus animalibus, tū omnibus viuentibus, ergo antecedit. Duobus modis poſſumus reſpōdere, primo quod paſsiones communes ſunt prius tractandæ, quàm particulares in ordine paſsionum, ſed non reſpectu cuius ſunt paſsiones. quoniam primò eſſentia, & poſtea paſsio tractatur ſecundo cum dicunt, liber de anima continuatur cum libro paruorum naturalium, qui tractat de paſsionibus communibus tum omnibus animalibus, tum omnibus viuentibus, ergo antecedit libros animalium, negatur conſequentia. quoniam Ariſt. vt diximus in nouo lumine, poſtquam tractauit de animalibus, & vltimo de anima ipſa, cōſonum erat, vt de paſsionibus cōibus ipſorum tractaret, vt quæ communia, & quæ particularia cuiuſcunque rei animatæ cognoſcerentur. Quomodo quæſo ſciremus memoriam, iram, ſenſum, deſiderium & appetitum eſſe omnibus fere animalibus communia, ſi ignoraremus eſſentiam a qua prodeunt, & principium a quo deriuantur iſtæ paſsiones? Ideò primo de animalibus, & poſtea de anima tractauit, & vltimo de communitate ipſarum paſsionum: ſic enim ordo doctrinæ expoſtulat. Taceant igitur Latini, & concludamus ſecundum noſtra definitionem, quæ ueritatem rei, & ordinem Ariſto. docet, ac ſequitur, & dicamus libros de anima eſſe tradendos poſt libros animalium. quoniam in ordine doctrinæ, & compoſitiuo materia præcedit formam. Et quando dicitur corpus, vel partes corporis eſſe notiores, non intelligitur, ut Toletus, inquantum hæ partes, uel inquantum hoc corpus, ſed inquantum partes materiales uniuerſales, & corpora materialia uniuerſalia,

ſalia.& ſic ſumuntur ratione materiæ in uniuerſali, & nõ ratione talis materiæ; & ideò, cum dicitur, compoſita ſunt notiora, non intelligitur ratione compoſiti, ſed ratiò ne materiæ; quoniam ſemper materia eſt notior ipſa forma; & debet præcedere formam in ordine naturæ, & cognitionis, & etiam in ordine compoſitiuo, qui eſt ordo naturæ, ſicut diximus, & hæc de hac quæſtione dicta ſuffi ciant. Per cauſam materialem, & finalem poſſumus etiam reſoluere dubium.

Vtrum phiſicus tractet de Anima, vel Metaphiſicus, uel Animaſticus.

Quoniam ſi informat corpus, & in corpore, & extra corpus, reſpicit illud, ergo debet definiri per corpus, & per conſequens a naturali debet cognoſci. Per cauſam finalem, quoniam cum ſit media inter intelligentias, & for mas materiales. conuenit.n. cum intelligentiis: qm̃ per ſe exiſtere poteſt. differt, qm̃ intelligentia eſt ens cõpletũ, per ſe, & aĩa ens incõpletum ergo cum ſit aptum facere vnum cũ materia per ſe erit a naturali conſideranda, cũ per corpus compleri debeat Erit igitur cõcluſio prima, quod anima a naturali conſiderari debet. Sed quoniam poteſt omnia intelligere, & eſt mediæ naturæ, ergo tota intellectualis fieri poteſt. & ideò cum hoc pacto nullum reſpectum habeat ad corpus, cum ſit tanquam intelligentia: ideo de ipſa tractabit Metaphiſicus. & hæc erit ſecunda concluſio. Non erit igitur dicendum, ut illi, quod ſecundum gradum vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſit phiſicę conſi derationis, & quoad gradum rationalem Metaphiſici. quoniam anima non informat corpus per illos tantum, quoniam non facit tantum animal, ſed hominem, ſcilicet animal rationale, ergo ſecundum totam eſſentiam

informat

informat corpus,ergo ſecundum totam eſſentiam erit naturalis conſiderationis.ſed quoniam verſatilis eſt, & mediæ naturæ,& apta nata tranſire tota modo in corpus, modo in intelligentiam : ideo cum non habet reſpectum ad corpus,non eſt phiſicæ conſiderationis, ſed Metaphiſicus ipſam cognoſcit.nec propter hoc dicendum eſt,quod naturalis non tractet de eſſentia, & de omnibus operationibus eius, ſcilicet intelligere quoniam tractat de tota anima,quæ habet reſpectum ad corpus,& de omnibus operationibus eius, quæ etiam ipſæ habent reſpectum ad corpus,ſcilicet intelligere, ut reſpicit phantaſmata ; ſed non de anima facta intellectuali. quæ cum ſit mediæ naturæ, poteſt tota tranſire in naturam intellectualem . Et ſi dicunt, cum anima per ſe eſt intellectualis, nonne intelligit?dico,quod ſic.ſi ergo intelligit,ergo intelligere eſt ſua operatio;ergo naturalis ſi tractat de eſſentia,ergo de operatione,tanquam de parte.quoniam ſi tractat de toto, ergo de partibus.dico,quod intelligere cum ſit operatio,ſequitur ſuam eſſentiam. Vnde quando anima facta eſt naturalis,etiam operatio ſua eſt naturalis. cum facta eſt intellectualis,ſimiliter,& operatio ſua.Vnde ſi naturalis tractat de eſſentia, tractat etiam de intelligere toto naturali ſibi adæquato.quod dicitur tunc pars animæ naturalis. & Metaphiſicus cum eſt facta intellectualis de toto intelligere intellectuali,pars tūc dicta animæ intellectualis. Vnde non benè Franciſcus Toletus ſciuit hanc veritatem decidere, & declarare quamuis dicat,quod datur duplex intellectio, vna phiſica dicta concreta, & alia contemplatiua; quæ a ſenſu non dependet. & quod de contemplatiua non tractat naturalis,ſed de phiſica. nō reddens aliam rōnē, niſi qđ quoad hāc opationē cōtēplatiuam ab Ariſt. dictā mentē, & intellectū, conſideratur a metaphiſico. quæ rō non eſt bona, quoniam non quoad hanc opationē,ſed quoad totam eſſentiam pertinet ad metaphiſicum. quoniam tota anima facta eſt naturæ intellectualis, cui obediunt virtutes vegetatiuæ,ſenſitiuæ,& rationalis. & quo-

uerunt. & hoc quoniam non comprehenderunt diſtinctè vnam & eandem animam totam fieri naturalem, & totã intellectualem, & non quoad operationem tantum, ſed quoad eſſentiam. Et quando dicunt, quod phiſicus tractat de formis generabilibus, & corruptibilib.: ſed anima eſt incorruptibilis, dico, quod veru eſt, quod tractat de iſtis, vel per ſe, vel per accidens. Anima autem, vt dicit Auer. eſt corruptibilis, ratione corporis, quæ licet ſeparabilis eſt, in materia tamen eſt. & cum ſit ens incompletum habet ordinem ad materiam. & ſimiliter phiſicus tractat de anima, & toto obiecto adæquato, ſcilicet intelligere, quia tractat de anima, vt habet reſpectum ad corpus, ergo etiam de toto intelligere a corpore dependente. Metaphiſicus verò de tota anima, & obiecto ſuo adæquato. quoniam facta eſt intellectualis, ideò de obiecto intellectuali, & ſeparato. Cum ergo Ariſt. dicit, quod ad phiſicum pertinet tractare de anima, intelligit prout habet reſpectum ad corpus. cum verò dicit, quod non ad naturalem pertinet tractare de omni anima, intelligit de anima intellectuali, non autem rationali; quoniam cum ſit mediæ naturæ, tota fieri poteſt intelligentia. & hæc ſatis pro reſolutione iſtius quæſtionis.

Per cauſam materialem poſſumus etiam reſoluere dubium de ſede ipſius animæ, & reſolutè decidere.

An anima ſit in toto corpore, uel in aliqua parte corporis, uel tota in qualibet parte, & tota in toto corpore.

Multi enim multa dixerunt. Nam Hippocrates, & Hierophilus in cerebri ventriculis illam ponunt. Beda, qui ſcribens ſuper Marcum, animæ locus inquit principalis non Hipp. Hiero

extra

Beda
Cicero.
Simó Portius.
Hier.
Tertull.
Philo Iudæus
Emped.
Moſes.
Strato.
Epicurus
Diog.
Stoici cũ chryſippo.
Eraſiſtratus.
Democr.
Ariſt.
S. Tho.
Turiſanus Monacus.
Galenus.
Iandunus.
Apoll.

extra Platonem in cerebro. ſimiliter Cicero 1. Tuſcula Alij in corde, cuius opinionis fuit Simon Portius, libell de mente humana, cap. 7. qui contendit eam eſſe in corde. Similiter Diuus Hieronymus lib. 2. ſuper Matth. cap. 14. ponit animam noſtram in corde. Similiter Tertullianus lib. de anima cap. de principali gradu animæ, ideſt de hegemonico. Idem Philo Iudæus opuſculo de eo, quod deterius potiori inſidietur. Empedocles in ſanguine, cui adſtipulatur Moſes, prohibens veſci ſanguine: quia animalis anima ſit in illo. Strato in ſuperciliorum interſtitio. Epicurus in toto pectore. Diogenes in cordis arteriato ventriculo. Stoici cum Chryſippo in toto corde, ac ſpiritu circa cor verſante. Eraſiſtratus circa membranam epicramidem. Democritus, & Ariſt. in toto corpore. quam opinionem ſequuti ſunt S. Thomas, diſp. de anima ar. 2. & Turiſanus Monacus libr. 2. microtechni. Galenus comm. 12. dub. 4. Iandunus. q. 7. Apollinaris q. 6. & Caietanus Thienenſis, qui omnes dixerunt, quod anima eſt in toto corpore viuentis. Quomodo aliquis poterit in tanta varietate comprehendere rei huius veritatem? Cuinam opinioni adhærebit? & quomodo tot grauiſsimi authores diſſentientes inter ſe ſaluari poterunt? Certè, quod cauſa materialis noſtræ perfectæ definitionis reſoluit hanc veritatem; quoniam cum iam probatum ſit, quod anima rationalis eſt forma corpus humanum ſpecificans, ergo clarũ eſt, quod ſit in toto corpore, & in qualibet eius parte: quoniam ſi debet dare eſſe toti corpori, & cuilibet parti, ergo in toto corpore, & in qualibet parte eſſe debet, & non ſecundum totalitatem quantitatis, vel virtutis, ſed ſecundum totalitatem eſſentiæ in qualibet corporis parte: quoniam ſecundum virtutem eſt cum operatur per organa, vbi eſt organum, etiam virtutem intelligendi per nullam partem organi exequitur; & ſecundum virtutem nec eſt tota in qualibet parte, ſed nec eſt tota in toto, ſed bene ſecundum totalitatem eſſentiæ eſt in toto, & in qualibet parte, cum ſit actus eius, in quo eſt. & quando

Ariſt.

Ariſt. in lib. de cauſa motus animalium, ait. Nihil opus eſt in vnoquoque corporis eſſe animam, ſed in quodã corporis principio exiſtere, & ſimiliter tertio de partib. ani. cap. 4. quando dicit, principium ſenſus eſt in corde. Loquitur philoſophus de anima, quantum ad potẽtiam motiuam, quæ primò fundatur in corde. & ſic loquitur, quo ad operationem potentiarum, quas oportet neceſſario operari in organis proprijs: quoniam quanuis anima ſit in qualibet parte corporis, tamen non eſt in qualibet parte corporis, ut diximus, omnis ſua potentia; quoniam tantum jllæ potentiæ ſunt in corpore, quarum operationes explentur per organa corporis, & non in qualibet parte, ſed in parte, vbi expleri debet operatio. Et ideò ſi quis dicat. Totum, & perfectum idem eſt, in tertio phiſ. perfectum autem eſt, quod attingit propriam virtutem, ut dicitur eodem tertio phiſ. propria autem virtus animæ, ſecundum intellectũ eſt, quod non eſt actus alicuius partis, non ergo anima eſt tota in qualibet parte corporis. Dicendũ, quod cum dicitur anima eſſe tota in qualibet parte, accipitur totũ, & perfectũ, ſecundum rõnem eſſentiæ, & nõ ſecundum rationem potentiæ, ſeu virtutis. Solutio. Et quando dicitur in libro de quantitate animæ tantam æſtimo eſſe animam, quantam eam ſpacia corporis eſſe patiuntur, ergo non eſt tota in qualibet parte corporis, cum nulla forma quæ extenditur ſecundũ extenſionem materiæ, ſit in qualibet parte. Intelligitur hæc auctoritas, quod virtualis animæ quantitas, non porrigitur in maiorem quantitatem, quàm corpora. Et ſi quis dicat, ſi anima eſt in qualibet parte corporis, ſequitur, quod ſimul moueatur, & quieſcat. dico, quod non eſt inconueniens, quod anima moto corpore moueatur per accidens: & quod aliquid moueatur, & quieſcat per accidens ſecundum diuerſa. Præterea ſi dicat, ſi eſt in qualibet parte, ergo præciſa parte auferetur anima. Reſpondeo, quod præciſa parte non ſequitur, quod auferatur anima, uel quod ad aliam partem trãſmutetur: niſi poneretur, quod in illa ſola parte anima eſſet; ſed ſe-

quitur quod illa pars deſinit perfici ab anima totius. Et quando dicitur, ſi anima eſſet in toto corpore, eſſet in partibus ſimilaribus corporis, ſcilicet in oſſe, carne etc. ſed anima in talibus eſſe non poteſt, quia materia animæ eſt organica, ergo non eſt in omnibus partibus. Hoc argumentum ſoluit Toletus, & dicit, quod duplex eſt materia prima, & ſecunda. Prima eſt, in qua recipitur res, Secunda eſt, quæ primam componit. Materia prima animæ eſt corpus organicum; ſecunda partes ſimilares, quæ organum componunt. in vtraq; eſt anima. Cum autem dicitur corpus organicum eſſe materia animæ, ſermo eſt de prima, & proxima.

Sed ego dico, quod omne, quod viuit, diſsimilare eſſe debet, & per conſequens totum corpus humanum, & partes eſſe organicas. vbi notandum, quod & ſi aliquando huiuſmodi membra, quæ viuunt, ſimilaria appellentur, ut caro, neruus, & huiuſmodi, quod appellantur ſimilares; non quidem, quia verè ſint ſimilares, ſed quia ſenſibiliter non ſunt organicæ: ſicuti eſt brachium, manus & huiuſmodi. quod autem caro, & neruus, quæ videntur eſſe ſimilares, in re tamen ſint diſsimilares, ex hoc manifeſtum fit, quod caro ſi pungatur in quacunque ſui minima particula emittit ſanguinem. quod ſi ſanguinem emittit, ſignum eſt, quod illum trahit, cum autem tractio fiat per venas, ſequitur igitur carnem quoque in re eſſe diſsimilarem; neruus quoque in re conſtat ex ſubſtantia membranoſa, & carnoſa. Quare iam patet, quomodo nulla eſt pars in corpore, quæ viuat, quæ non ſit compoſita ex diuerſis ſubſtantijs. quod ſi quædam in corpore ſint partes, quæ ſimilares ſint, quales ſunt adeps, ſanguis, & pili inter ſimilaria a Galeno dinumeratæ, profectò non viuunt hæc non nutriuntur, non augentur propriè; quoniam pilorum auctio propriè non poteſt appellari; ſed pilorum quædam ſuperadditio, & multiplicatio.

Præterea, quando dicunt, ſi in omnibus eſſet partibus, ſingulas denominaret partes, & quælibet pars diceretur

animal

animal: ſicut quælibet pars ignis dr. ignis, quod eſt falſum. Dico, quod quælibet pars dicitur animata, ſaltim aliquo modo, quędam per vegetatiuam, quędam per ſenſitiuam; ita quod omnes accipiunt eſſe ab anima. Non nè dicit Ariſto. tex. 9. ſecundi de anima, ſicut viſus ad oculum, ita anima ad totum ſimul animal ad differentiam intelligentiæ. Nam 8. phiſ. 84. dicit, intelligentiam non in toto cœlo, ſed in cœli parte. & hoc eſt, quoniam intelligentia eſt motor orbes. & ideò non eſt opus, quod ſit vbique, ſed in parte. & anima eſt forma, & ideo in toto corpore eſſe debet. quia ſi anima in vna tantum parte corporis eſſet, reliquæ corporis partes aliam haberent ſubſtantialem partē. immò cum plures ſint partes diſtinctæ inter ſe, plures eſſent in uno compoſito partes ſubſtantialiter, & ſpecie differentes. ſic autem non poſſet eſſet vnum per ſe, ſed totū per quandam aggregationem. quomodo poſtea vnirentur, & a quo? Et ſic reſolute dicemus eſſe in qualibet corporis parte, ſecundam ſubſtantiam, & potentiam, ſcilicet in illis partibus, quæ animalis ſunt. non autem in illis, quę animalis nō ſunt, ut in vnguibus, capillis, & pilis. hæc omnia non ſunt animalis, nec ad ipſius integritatem faciunt. nam his ablatis, animal remanet integrum. in eis enim nulla eſt operatio animæ, nec ſunt partes compoſiti naturalis, ergo non ſunt animata. Et ſic reſoluta eſt iſta difficultas ab auctoribus contrariata per propriam cauſam materialem. Et philoſophi quando fuerunt inter ſe contrarij, habuerunt reſpectum ad aliquem effectum, & operationem ipſius animæ magis principalem, & minus principalem, & non ad eſſentiam animæ. Concludamus igitur ſic, anima rationalis eſt forma corpus humanum ſpecificans; ergo eſt in toto corpore, & in qualibet parte corporis.

Per eandem cauſam materialem reſoluitur quæſitum de vnione animæ, cum corpore.

Numuniatur Anima Rationalis

corpori mediate, uel immediate.

Quoniam ſi eſt forma corpus humanum ſpecificans, ergo vnitur ei immediatè. & ſi quis dicat, quomodo quæſo poſſunt coniungi, cum ſint diuerſa penitus. corpus enim organicum, & craſſum, anima vero ſpiritualis, ergo neceſſario indiget ſpiritu medio, qui eſt ſubſtantia media inter animam, & corpus, quem ſpiritum Ariſto. ſecundo de generatione animal cap. 3. appellauit nec elementum aliquod, ideſt nec ignem, nec aerem, nec aquam, nec terram: ſed naturam proportione elemento ſtellarum correſpondentem. Alij communem ſenſum, quoniam per hanc ſentimus voluptatem, & dolorem, Plato, Platonicique dixerunt animæ vehiculum. Mercurius indumentum animæ. Vergilius ſpiritum. ait enim ſpiritus intus alit. Iulianus Platonicus appellat tralucidam quandam ſubſtantiã, omnia penetrantem. Auerr. mundi vinculum. Alij animæ flatum, Priſci Theologi corpus æthereum, & animæ umbram; alij idolum animæ, alij cœlum, & alij denique Quinta eſſentia. Dicendum, quod quamuis diuerſa ſint: tamen cum ſint entia incompleta, cum aptitudine ad completionem ſpeciei humanæ, vniuntur. & cum ſit anima forma propria ſubſtantialis corporis, non indiget medio, ſed dicitur anima vniri corpori per ſpiritum prędictum, inquantum eſt inſtrumentum primum, & nobiliſsimum ipſius animæ, qui ſpiritus, cum ſit aptus, & habilis, maxima celeritate, totum corpus tranit, & virtutes animæ, atque eſſe per totum corpus diffundit in momento. & per hanc habilitatem atque tenuitatem appellatus fuit ſpiritus. Vnde poſſumus dicere, vitam eſſe in anima in eſſe cauſali, in ſpiritu in eſſe formali; & in corpore in eſſe participato. Et quamuis adeſt ſpiritus hic, non propterea anima dicitur aſsiſtere corpori. & non dare eſ-

Ariſt. Alii. Plato, & Platonici. Mercurius. Vergilius. Iulianus Platonic. Auerroes. Alii. Priſci Theologi. Alii. Alii. Alii.

ſe: quoniam ſpiritus eſt tanquam inſtrumentum, vt diximus. ſed quoniam nobilius inſtrumentum eſt, ideo dicitur habere uitam primo,& alia per illud. ſed reuera nulla prioritas temporis datur,quo uno & eodem tempore generatur corpus,& infunditur anima,quæ in inſtanti viuificat totum corpus, & dat eſſe omnibus eius partibus, & inſtrumentis.ergo cum ſpiritus ſit inſtrumentum uno, & eodem inſtanti recipit virtutes animæ, & ipſas per totum corpus diffundit.Et quamuis ſpiritus diffundat uirtutes animæ, propter hoc non facit hoc, quia tales uirtutes ipſe habeat cauſaliter:quia ab anima ueniunt. Vnde ipſa anima eodem inſtāti eſſe ſuum diffundit in ſpiritum,& in totum corpus ſpecificans ipſum. Anima igitur humana nō indiget hoc ſpiritu, ut corpus uiuificet, atque informet, cum ſit inſtrumentum etiam ipſum, quod ab anima eſſentificatur ſimul cum corpore.quæ anima. quamuis habeat hęc adminicula,& inſtrumenta:non tamen multiplex eſt. eius enim inſtrumentum primum erit, ut diximus, ſpiritus uitalis: ſecundum calor:tertium ſanguis, & ita deinceps venę,arterię,nerui,cartilagines,& quibus totius corporis vita ſuſtinetur. Vnde, cum totum eſſe corporis ab ipſa anima dependeat,& cum anima ſit forma totius corporis ſpecificans ipſum,ergo abſque medio cum ipſo coniungitur,ut perficiatur non ſolum,quantum ad intelligere phantaſticum:ſed etiam quantum ad naturam ſpeciei, & quantum ad alias operationes,quas exercet.Et quando dicunt aduerſarij,quod ante unionem animæ cum corpore præcedit aliqua forma, ergo mediante illa forma anima unitur.Dico,quod illa forma non facit ad completionem ſpeciei humanæ,cum ſit vnio quædam entis incompleti:& ideò non eſt forma ſubſtantialis,ſed anima adueniens conſtituit ens completum, & ſpeciem humanam, quæ forma totius, & unionis eſt in aduentu animæ, tanquam materia,ut ſuperius ſuo loco diximus.& ſic non impedit hæc forma immediatam vnionem animæ cum corpore:quoniam non dat eſſe ſubſtantiale ſpeciei humanæ.

ſed cum aduenit anima humana ſtatim informatur corpus humanum,& ipſa remanet forma totius, nihil ad eſſe animæ faciens,nec ad eius operationes. Vnde concludemus animam immediate corpori uniri, cum reuera medium oportet, quod participet cum vtroque extremorũ. ſed non poteſt eſſe aliquid quod partim ſit corruptibile, partim incorruptibile,ergo non poteſt cadere aliquid medium inter animam,& corpus. Præterea philoſophus dicit in primo de Anima,quod corpus non continet animã, ſed magis anima corpus.& dicit ibidẽ cõmentator, quod anima eſt cauſa continuitatis corporis, ſed continuitas corporis dependet a forma ſubſtantialiter, per quam eſt corpus, ergo ipſa anima rationalis eſt forma in homine, qua corpus eſt corpus;& ſic abſque medio anima corpori coniungitur. concludit igitur rectè atque reſoluit perfectè materialis cauſa hanc quæſtionem. Quoniam ſi anima rationalis eſt forma corpus humanum ſpecificans, ergo ante ipſam nullum medium, ergo immediate corpori unitur, & conſtituit ipſum in eſſe. Et ſiquis quęrat,

Num anima rationalis tali corpori humano debeat uniri, & non alio.

Reſpondendum eſt,& reſoluendum hoc quæſitum, per cauſam finalem ipſius definitionis. Quoniam ſi data eſt homini,anima,vt omnia cognoſcere poſsit,ſi omnia, ergo ſenſibilia,& intelligibilia.ſed ſenſibilia ſine corporeis organis cognoſci non poſſunt; ſimiliter intelligibilia, quando anima facta eſt naturalis, indigent excitatione phantaſmatum.quæ phantaſmata a ſenſibus exterioribus ad interiores tranſportantur, & intellectui appræſentantur, a quibus excitatus intelligit. ergo corpore humano indigebat,& uniri debebat, cũ alia corpora non ſint apta,

propter

propter imperfectionem organorum, ad repræſentādum has cognitiones intellectui. & ſic cum homo pulcherrimum, & abſolutiſsimum Dei opus, & imago ſit, atque minor mundus: ideo perfectiorem compoſitionem, & corpus ſuauiori harmonia, & ſublimiori dignitate ornatum, atque diſpoſitum meruit. & hac de cauſa erectitudinem tenet, ut factorem ſuum contemplari poſſet. Vnde miſſa fuit anima. Tanta eſt enim perfectio corporis humani, quod in ipſo conſpicimus omnes numeros, pondera, menſuras, motus, & elementa, & tantæ ſupremæ compoſitionis, & diuini artificij eſt corpus humanum, quod ad hanc corporis commenſurationem templa, ædes, domos, Theatra, inſuper, & nauigia, machinas, & quodcunque artificij genus, & cætera huiuſmodi ex ipſo deducunt. In ipſo enim conſpicimus circulum, quadratum, triangulum æquilaterum, quadratum æquilaterum, ac in omnibus partibus omnes proportiones, menſuras, atque harmonias. Miro igitur artificio a natura fabricatum fuit, quoniam cum animi conſonantia conſtat debito temperamento, proportioneq; ſuarum uirtutum, & operationum, ita cōſonantia corporis debet conſtare debita membrorum menſura, ac proportione.

Proportionatiſsimæ enim animæ proportionatum corpus correſpondere debet. Cum ergo anima debebat correſpondere terræ per ſenſum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, cœlo per intellectum, &, ut clarius dicam, cum homo ſit cœleſtium, & terreſtrium vinculum, mente Deum referens, & Angelos, ſpiritu cœlum, ſenſu bruta, vegetatione plantas, & qualitatibus elementa, oportet, quod corpus ſibi proportionatum habeat, ſed nullum præter humanum reperitur, nec reperiri poteſt, ergo non alij corpori, quàm huic vniri debet. Vnde cum anima ſit ens incompletum, quamuis nobiliſsimum, ut ſpeciem humanam conſtitueret, & ineſſe reponeret, vt diximus, corpori humano tantum vniri debebat: quamuis ſit terrenum, & craſſum, ſufficit, quod

ſit proportionatum, & æqualis commixtionis. & quamuis anima propter pugnam concupiſcentiarum diſtrahatur huc atque illuc, non propter hoc debet dici, quod tali corpori non vniri deberet. quoniam hoc non prouenit ratione indebitæ vnionis, quod caro reſiſtat ſpiritui, ſed ratione finis: quoniam anima deſiderat, cum ſit immortalis, immortalia ſapere. & ideò pugnatur ſemper cum corpore. Et ſiquis diceret, quod conuenientiſsimum erat, quod vniretur ſpiritui cuidam, tanquam magis propinquiori. Dico, quod ſpiritus ſolus non poteſt eſſe organũ ſenſus, quamuis ſit vehiculum, & inſtrumentum virtutũ. ideò ex ipſo corpus hominis conſtare non poteſt. nec etiã incorruptibili corpore, quoniam cum ſit mediæ naturæ, debebat etiam participare corpus per quod poſſet, & materialis, & immaterialis apparere, & mobilis, & immobilis, & ſenſibilia, & inſenſibilia cognoſcere, atque intelligere. quod ſi corpus incorruptibile habuiſſet, ſemper eodem modo ſe haberet. ideò corpus hominis non potuit eſſe ſimplex, nec corpus cœleſte propter poſsibilitatem organi ſenſus, & præcipuè tactus, neque corpus ſimplex elementare, quia in elemento ſunt contraria in actu: corpus autem humanum oportet eſſe redactum ad medium, vt diximus. & quamuis anima ſit ſimplex in eſſentia, eſt tamen in virtute multiplex, & tanto magis quãto fuerit perfectior; & ideò requirit corpus organicum, quod ſit ſimilium partium. & quia vnitur corpori propter intelligere, vt ex cauſa finali, patet quod eſt propria & principalis eius operatio, & ideò requiritur, quod corpus vnitum animæ rationali ſit optimè diſpoſitum ad ſeruiendum animæ, in his, quæ ſunt neceſſaria ad intelligendum, & quod de agilitate, & de alijs huiuſmodi habeat, quantum talis diſpoſitio patitur. Et quamuis natura prouiderit aliis animalibus certis auxiliis, quod denegauit homini propter rationem infinitorum conceptionum: tamen loco omnium auxiliorum, quæ alia animalia naturaliter habent, habet homo intellectum, qui eſt ſpecies ſpecierum, & manus,

quæ

quæ ſunt organum organorum, per quas poteſt ſibi præparare omnia neceſſaria. Concludendum igitur eſt, quod ſi debebat omnia cognoſcere, quod tali etiam corpori humano vniri debebat.

Per eandem cām materialē poſſumus reſoluere dubiū.

An anima Rationalis poſsit per ſe moueri, & pręcipue ſecundum locum.

Nam cum ſit forma corpus humanum ſpecificans, habet relationem ad corpus, ergo ſi exiſtit in corpore, non eſt in loco per ſe, ideò ab Ariſt. profertur per ſe non moueri: de anima ſeparata alia eſt ratio, ſicut de intelligentia. Præterea ſi loquamur de vero motu phiſico, per cauſam formalem, videtur, quod non per ſe mouetur, quia ſi eſt independens forma corpore, & incorporea, ergo non pōt commenſurari loco, qui quantus eſt. Amplius ſi eſt incorporea, ergo indiuiſibilis, ergo prout eſt in corpore nō poteſt moueri. quia 6. phiſ. tex. 86 probat nullum indiuiſibile poſſe moueri. & ibi manifeſte loquitur de indiuiſibili habente poſituram in corpore, & in continuo. Adhuc omnis forma ſubſtantialis & immobilis per ſe nec aliter, quàm cum compoſito mouetur, at anima rationalis eſt verè ſubſtantialis forma, ut uidimus, ergo immobilis per ſe, & ſi mobilis, eſt per corpus. Vnde anima prout definitur a nobis, non poteſt per ſe moueri, ſecundum locum, niſi ratione corporis. bene poteſt moueri motu appetitus, & uoluntatis, ut dicit Ariſtot. ſed talis motus non eſt phiſicus.

Præterea etiam ſeparata mouetur definitiuè, ut Theologi dicunt: quoniam res poſſunt loco definiri quædam quantitatiuè, ut corporeæ ſubſtantiæ, quædam per operationem, ut incorporeæ. Vnde anima cum ſit incorporea

vir-

virtualiter extra corpus, eſt vbi operatur, ſicut intelligentia, ac in tanto loco, in quanto operatur: quamuis nõ operetur ſemper, & ſic non diuiditur anima diuiſione ſuæ operationis, ſicut ſubſtantia corporea: ſed poteſt eſſe in loco toto tota, & tota in qualibet parte, ſicut intelligentia, & quæuis incorporea ſubſtantia. Vnde anima rationalis cum ſit media inter ſpiritualia, & corporalia, potens per ſe ſubſiſtere extra corpus. poteſt in loco eſſe per ſe, cum corpus relinquit, & dum eſt in corpore, non poteſt eſſe in loco per ſe, ſed per accidens, ratione corporis. & hæc eſt ſententia Ariſtotelis, & veritatis denique, quod anima nõ mouetur per ſe, ſed per accidens ad motum totius corporis, ita ut vnius ſit motus totius, & per accidens anima moueatur; ut totum facit cum materia, & per accidens ſe mouet, quia eſt cauſa motus totius, quo ipſa mouetur. & hæc pro breui explicatione, ac reſolutione prædictæ difficultatis.

Per cauſam materialẽ, & formalẽ poſſumus reſoluere,

utrum Anima Rationalis ſit diuiſibilis, non in partes eſſentiales, ſed ſecundum quantitatem.

Dixi, non in partes eſſentiales, quoniam iam vidimus, quod cóponitur ex materia, & forma: ſed ita qđ materia illa abſorbetur a forma, & ſit indiuiſibilis. ſimiliter non quærimus an ſit diuiſibilis in potentias, quoniam iã conclusum eſt habere multas potentias; ſed quærimus, an ſit diuiſibilis ſecundum quantitatem, ita quod diuidatur in partes corporis. & quod ita ſit in toto corpore, ut quod animæ eſt in capite, non ſit in pede: uel quod eſt in capite ſit in pede, & aliis partibus, quod hoc modo dicetur indiuiſibilis. Dico, quod cum anima ſit forma, & independens a corpore, ergo non quanta, ergo indiuiſibils; et ſi

indi-

indiuiſibilis, & informans, ergo tota in toto corpore, & tota in qualibet parte: quia illa res, quæ non recipit quantitatem, nec eſt educta de potentia quanti, quamuis recipiatur in ſubiecto, non eſt diuiſibilis, ſed indiuiſibilis. Vnde reijcitur error illorum Hierardi, & Pomponatij, qui omnes animas diuiſibiles tenent: quia informant, neſciẽtes, quod verum eſt de illis formis, quæ informant & eductæ ſunt de potentia materiæ. ſed non de illis, quæ informant, & non eductæ ſunt de potentia materiæ, ſicut anima rationalis, quæ eſt in toto corpore, indiuiſibiliter informans ipſum. Et quando dicunt, quicquid identificatur cum extenſo, eſt diuiſibile, at rõnalis aĩa identificatur cum ſenſitiua, & vegetatiua, & hæc cum forma corporeitatis, quia non eſt niſi vna forma in vno compoſito, ſed talis forma eſt diuiſibilis, ergo & anima. Dico, quod vegetatiua, & ſenſitiua, quoad eſſentiã, & cauſaliter ſunt idem cum rationali, formaliter autem non.

Præterea forma corporeitatis non identificatur cum rationali, cum ſint diuerſæ: quoniam forma corporeitatis eſt educta de gremio materiæ, & anima non educta, quæ forma eſt materia reſpectu animæ, & ſic non ſequitur, ergo plures formæ, quia ſola vna eſt, quę compoſitum informat, & ſubſtantificat. Vnde illa forma corporeitatis, nihil facit ad completionem ſpeciei humanæ, & eſt materia reſpectu animæ rationalis aduenientis. Vnde non bene Toletus ſoluit argumentum dicens, quod anima rationalis eſt idem, quoad ſubſtantiam cum corporeitatis forma, quoniam cecidit in hunc errorem, quia credidit formam corporeitatis eſſe formam facientem aliquid, ad cõpletionem compoſiti: non videns, quod eſt tanquam materia ad animam rationalem, & tantum vnio quædam entis incompleti, diſpoſiti ad ſuſcipiendam animam, ut fiat vnum ens completum, & per ſe. & ſic non erit, cum ſit materia reſpectu animæ, idem, quoad ſubſtantiam, cum anima, ut ait Toletus. nec ſequitur poſtea, talis forma eſt diuiſibilis, ergo anima. Et ſi quis diceret, pars hominis ab-

ſciſſa

ſciſſa viuit, quamuis parum: mouetur enim abſciſſa manus. Ad hoc ſolet reſpondere Alb Mag. ſumma de homine quæſt.2.art.3. dicit, quod motus partium quarundam in animalibus perfectis, præſertim in homine, non pronenit ab anima, ſed a virtute & ſpiritu relicto ab anima, in animalibus imperfectis diu perdurat, & habent tactum: quoniam vere anima remanet in abſciſſa parte, ſed in homine parum, quoniam eſt virtus, ut dicit Albe. Concludamus igitur cum Aegidio, Ianduno, Appollina. Alber. Sax. & alijs, quod anima rationalis, cum ſit per noſtram definitionem forma independens, ſed informans, quod ſit indiuiſibilis, quoniam ratione, qua eſt independens, eſt indiuiſibilis, ratione qua informat eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte indiuiſibiliter.

Per eandem cauſam materialem reſoluitur dubium de ſeparatione animæ a corpore, **Vtrum ſit ſeparata anima, ſecundum eſſe a corpore necne.**

Dicimus, quod nulla forma eſt ſeparata ſecundum eſſe, ſed anima intellectiua per dictam definitionem, eſt forma corporis, ergo non eſt forma ſeparata a materia, ſecundũ eſſe. & ideò bene Ariſto.3. de anima dicebat, quod non oportet quærere ſi anima, & corpus ſint vnum, ſicut neque de cera, & figura, ſed figura nullo modo poteſt eſſe ſeparata a cera, ſecundum eſſe, ergo nec anima eſt ſeparata a corpore. Quomodo, quæſo, cum intellectus poſsibilis ſit in potentia ad ſpecies rerum ſenſibilium, & non compleatur eius operatio ſine excitatione phãtaſmatum, quæ ex noſtra operatione dependent, erit vna de ſubſtantijs ſeparatis? Cum igitur anima humana ſit, quædam forma vnita corpori: ita tamen, quod non ſit totaliter a corpore dependens, quaſi ei immerſa, ſed ſit independens, inquantum

tum vnitur corpori, neceſſario habet operationes, & vires cum corpore, & ſic non poteſt eſſe ſeparata, & quando dicitur quod intellectus eſt ſeparatus, pro tanto dicitur, quia non utitur organo corporali in operatione ſua: quãuis in corpore ſit. ideò corpus non eſt organum eius, ad quamlibet eius potentiam, & virtutem, quoniam in intelligendo non vtitur organo. Et quando dicunt, forma eſt in eodem genere cum materia cui vnitur: ſed intellectus non eſt de genere corporalium, ergo non eſt forma vnita corpori, ſicut materiæ. Dico, quod cum anima intellectiua ſit forma hominis, non eſt in alio genere, quàm corpus, ſed vtrunque eſt in genere animalis, & in ſpecie hominis per reductionem. Item ſi arguunt dicentes, ex duabus ſubſtantijs exiſtentibus actu non fit aliquid vnum, ſed tam corpus, quàm intellectus, eſt ſubſtantia exiſtens in actu: nõ igitur poteſt vniri intellectus corpori, ut ex eis fiat aliquid vnum. Dico, quod ex duabus ſubſtantijs actu exiſtentibus, & perfectis, ut alibi diximus, in ſua ſpecie, & natura non fit aliquid vnum: anima autem, & corpus non ſunt huiuſmodi, ſicut ſint partes humanæ naturæ. Vnde ex eis nihil prohibet fieri vnum, & ſic anima vnitur corpori, non tanquam forma, quę reducitur in actum per motum, & mutationem materiæ, ſicut aliæ formæ, quæ ſunt immerſæ materiæ, ſed tanquam forma a Deo incorruptibilis creata, ut corpori vniretur, & ſpecies humana per ipſum fieret perfecta. Et quamuis habeat operationem, in qua non cõmunicat corpus: tamen non remouetur, quin ſit aliquo modo corpori vnita, & in ipſo tanquam forma in materia, & licet vniatur corpori, ſecundum modum corporis: tñ quoad operationẽ propriã, & naturã intellectualẽ recipit nõ materialiter formas, ſed immaterialiter. & ſic cõcludimus per dictã cauſã materialẽ, nõ eſſe ſeparatã a corpore, ſecundũ eſſe, & oẽs inſtãtiæ in contrariũ ſoluuntur, quoad operationẽ propriã intellectus, & non quoad informationem animæ cum corpore. qm̃ quoad operationẽ propriam, eſt ſeparatus a corpore, quoniam non vtitur

Obiectio

Reſponſio

tur organo, eſt immixtus, eſt impaſsibilis, nec de ipſo tractat naturalis. ſed quoad vnibilitatem cum corpore, & inquantum cum phantaſmate intelligit. Cum ſit igitur forma ſpecificans corpus, oportet, quod ſit cum corpore, & non aſsiſtens, neque ſeparatus. & non inconuenit, ut diximus, quod operetur per propriam operationem abſque organo, & vnitus ſit materiæ, & corpori, & in ipſo ſit, dicant quicquid velint alij.

Per cauſam finalem poſſumus ſcire, An ſpecies intelligibiles ſint neceſſariæ ad intelligendum, & in intellectu concreatæ.

Nam ſi anima omnia cognoſcere, poteſt, & intelligere, cũ aliquando poſsit ſine phantaſmatum excitatione intelligere, ergo per propriam idæam & ſpeciem intelligit, ergo neceſſaria. Aduertè, quod in cauſa finali poſuimus *cognoſcere*, & non intelligere, ut pote vniuerſalius, cum cognitio ſe extendat ad ſenſibilia & intelligibilia, intelligere tantum, & propriè ad intelligibilia, ad rem dicimus, quod ideæ ſunt neceſſariæ, & in intellectu, nec ualet dicere, ſi eſſent in intellectu, ergo ſemper intelligeremus, quia etiã colores ſunt in tenebris, tamen non videntur, niſi apparẽte lumine. ſic ſpecies intelligibiles, niſi illuſtrentur ab agẽte, non intelliguntur, & cum abſque imaginatione intelligimus, tantum ſufficit virtus intellectus agentis. cum autem cum ipſa imaginatione, tunc indigemus excitatione phantaſmatum. Non ergo bene Themiſtius, Theophraſ. Auempace epiſt. de Luce, ſimiliter Bacco. 1. ſent. q. 2. pro logi. & Enri. lib. 5. q. 14. dixerunt ſufficere phantaſmata, intellectumque in ipſis cognoſcere naturas repreſentatas vniuerſales abſque ulla ſpecie, ſicut viſus colores videt in

ſubiectis

ſubiectis abſque vlla ſpecie. Quoniam phantaſmata non poſſunt perficere intellectum, cum materialia ſint, ergo non ſunt niſi excitantia. perficitur, ergo a ſpeciebus intelligibilibus, quas habet ſecum anima concreatas, cum tales ſint immateriales, & ab immaterialibus immaterialia perfici debent. & quando operatur cum corpori, ipſa tantum ſunt excitamenta idearum, quæ in intellectu in potentia ſunt intelligibiles. quoniam per phantaſmata tunc anima excitatur, & recurrit ad agentem, vt illuminet, & faciat actu ſpeciem illam correſpondentem idolo a ſenſibus ſibi appreſentato, & ſic fit actu intelligibilis proprio lumine. Vnde lapis non eſt in intellectu, ſed ſpecies lapidis dicit Ariſto. tex. 38. tertij de aīa. Similiter, qui poſuerūt eſſe quidē ſpecies intelligibiles in intellectu: nō tñ manere in intellectu, niſi dum intelligit, vt Auicena, & alij non benè ſentiunt: quia ſp ſunt inintellectu; ſed cum intelligit, actu ſunt, cū non intelligit, ſunt in potentia. Vñ illi, qui dixerunt manere ſpecies ita, vt poſtq̄ ſemel alicuius recipit intellectus ſpeciem intelligibilē, non amplius igeat ind phantaſmate, ſed poſsit ſine phantaſmate ſpeculari. In parte illa, quod poteſt intelligere ſine phantaſmate, benè dixerunt, quia cum factæ ſunt actu, illæ ideæ, quæ fuerunt excitatæ a phantaſmatibus, poſſunt intelligi abſque phantaſmatibus: ſed non in alia parte veritatem attigerunt, quia intellectus nō recipit alſcuius ſpeciem, cum omnis in ſe habeat; ſed tātum excitatur, cum cadit in imaginatione, & operatur cum corpore a phantaſmatibus diuerſis. Similiter S. Thomas p. 1. q. 84. ar. 7. & Aegidius tertio de Anima, qui dixerunt, quod quamuis manent ſpecies, ſemper tamen eſt neceſſarium ipſum phantaſma, nō omnino tetigerunt veritatem rei: quoniam poteſt etiam ſine phantaſmate, vt toties diximus, & probauimus, intelligere dum eſt in corpore. & quamuis hoc rarò accidat: tamen non eſt impoſsibile, nec repugnat naturæ rei. nam ſi habet omnes idæas in ſe, & omnes ſpecies, & ſi habet proprium agentem intellectum, & virtutem actiuam, ergo

quæ

quæ potentia habet abſque phantaſmatibus, poſſunt a ſua virtute fieri actu, & ſic abſque excitatione phantaſmatum intelligere, ergo ſpecies non ſunt tantum neceſſariæ ad intelligendum: ſed etiã ſunt in ipſo intellectu concreatæ.

Per eandem cauſam finalem poſſumus ſcire.

An ens ſit obiectum intellectus.

Nam ſi poteſt anima cognoſcere, & intelligere omnia, ergo obiectum eius erit ens vniuerſale complectens materialia, & immaterialia, cum utrunque cognoſcere poſſit in corpore, & extra corpus. Nam Deum, & intelligentias, & alia omnia intelligimus. ob id obiectum uniuerſali intellectus dicemus eſſe ens abſolutè, & quamuis uniuerſale, intelligibile, & verũ parcipiãtur ab ĩtellectu, non propter hoc ſunt obiecta principalia, & adæquata: omnia enim reducuntur ad ens, & explicant obiectum, cum conditione, & circunſtantia, quod ens cõtrahitur, ſecundum caſum ipſius intellectus. nam ſi cadit intellectus in rationem fit complexum, & conuertitur in propoſitionem. & ſi cadit in ſenſum, & cogitatiuam, fit ens ſenſibile, ſiue ſingulare, ſiue uniuerſale, ratione phantaſmatis, a quibus excitatur ipſa anima. Cum igitur breuiter, & dilucide ſoluatur quæſtio iſta, ut patet ſuperfluæ erunt tot diſtinctiones Franciſci Toleti, & aliorum de operatione ſimplici, & iudiciaria intellectus, & de obiecto motiuo, terminatiuo & non motiuo, & motiuo, ſed non terminatiuo, ſimiliter de eſſe obiecti, & conditione, & circunſtantiæ obiecti. Per intellectum ſtantem, & cadentem reſoluuntur omnia dubia, & reſecantur omnes diſtinctiones, vt diximus. Et per hanc eandem diſtinctionem, ſoluitur quæſtio,

An compoſitio ſit vnicus actus ipſius intellectus.

Scilicet. An intellectus percipiens aliquam propoſitionẽ, ſcilicet.

ſcilicet. Homo eſt animal, id faciat vnico actu, & operatione ſimplici, an compoſita: quoniam unico actu apprehēdit, quamuis diuerſimodè. nam ſine diſcurſu, & ut ſtans apprehendit eam, ut neque affirmantem, neque negantem, vt cadens, & diſcurrens unico actu apprehēdit eam, ſed ut affirmantem, uel negantem, & hoc nobis docuit Ariſt. cum de intelligere, loquutus eſt in tertio de anima. Et quamuis uidentur multa, tamē talia per modum unius ab intellectu cognoſcuntur. & ideò, ſicut uocalis propoſitio non eſt tres uoces tantum, ſed totum compoſitum ex ipſis: ita in mente præter tres conceptus, erit unus alius, quo propoſitio ut unum quid percipitur. Concludamus igitur, obiectum intellectus per cauſam finalem eſſe ens, quod contrahitur, ſecundum caſum intellectus, & ex his corollariè eliciamus, quod compoſitio eſt unicus ipſius intellectus actus.

Per cauſam formalem, ac finalem poteſt haberi reſolutio quæſiti.

Num intellectu ſingulare ſenſibile percipi poſsit.

Quoniam cum ſit anima independens, & immaterialis, & habeat omnes idæas rerum, & denique omnia cognoſcere poſsit, ergo poteſt intellectus cognoſcere ſingulare per propriam ſpeciem, ſicut ſenſus cognoſcit. quam opinionem ſequuti ſunt Caiet. Thien. & Burleus. 1. phiſi. Eſt etiam Theologorum ferè communis. Dur. 2. ſent. d. 3. q. 7. & Scot. 4. ſent. d. 45. q. 3. & Grego. 1. ſent. d. 3. q. 1. ar. 2. & ratione poteſt confirmari, quoniam ſi ſingulare non habet aliud, quàm materiam, & ſingularitatem, & neutrum obſtat intelligibilitati per ſe, ergo eſt per ſe intelligibile.

Præterea, vt diximus, potentia ſuperior cognoſcit omnia, quæ inferior, ergo intellectus potentia ſuperior co-

Q gnoſcet

gnoſcet ſingularia, quæ ſenſus potentia inferior cognoſcit. Vnde, qui putat intellectum quidem percipere ſingularia, ſed non per propriam ſpeciem, nec directè, ſed per conuerſionem ad phantaſma errant: quoniam phantaſmata non perficiunt intellectionem, ſed ſunt concurrentia, ideò percipit per propriam idæam, quæ in ipſo reperitur, & quæ ab agenti illuſtratur, & cum ſit potētia, fit actu. Et ſimiliter Philop. Alexand. Themiſt. & Auerr. qui putant intellectum non intelligere ſingularia, ſed per ſenſum, falluntur; cum ſenſus non agat in intellectum, nec faciat, ut diximus, intellectionem; ſed concurrant, & faciant reuerti intellectum ad idæam ſingularem, quam habet in ſe. Vnde cum ſint cum ipſo intellectu concreatæ, ergo non poſſunt ab ipſo intelligi propriè. Nonne videmus, quod homines ruſtici, qui non cognoue runt vniuerſale, ſingularia multa intelligunt, & vix poſſumus declarare modum intelligendi hunc, niſi per propriā ſpeciem ſingularia cognoſcantur. Et ſic firmiter tenendū eſt, intellectum poſſe ſingulare percipere. & quando Ariſt. & alij multis in locis dicunt, quod intellectus cognoſcit vniuerſale, hoc dicunt reſpectu ſenſus, non propter hoc, quod nō cognoſcat etiam ſingulare, ſed differentia eſt inter ſenſum, & intellectum, quod ſenſus cognoſcit ſingulare ſenſibiliter, & intellectus ſpiritualiter, ſed per propriā ſpeciem. Remaneat igitur concluſum intellectum, vt potè, independentem, datum homini, vt omnia cognoſcere poſsit, plenumque omnibus rerū idæis poſſe ſingulare ſenſibile percipere. Per cām finalē reſoluitur quæſtio,

Cū Anima ſeparata ſingulariā cognoſcat.

Quoniam, ſi ad hunc finem anima data eſt homini, vt mediante ipſa cognoſcere omnia poſsit, & ſi in hac vita poteſt

teſt omnia cognoſcere, ergo tanto melius cum erit ſeparata. ſi ergo in hac vita, vt ſuperius diximus, poteſt cognoſcere ſingularia, ergo etiam cum erit ſeparata. Amplius, quicquid poteſt virtus inferior, poteſt ſuperior. ſed ſenſus poteſt ſingularia cognoſcere, qui eſt inferior intellectu, ergo & anima ſeparata, ſecundum intellectum poteſt ſingularia cognoſcere. Denique ſi anima poteſt transferri in Deum, vt vidimus, & fieri Deus, ergo poteſt cognoſcere omnia ſingularia, cum Deus cognoſcat ſingularia, & minima quæq;. nec eſt hoc dictum contra philoſophos, & rectè philoſophantes: quamuis Auerroes, qui a multis Moſaicus Chriſtianus, Maumetanus, & deniq; nullius leges nuncupatur: dicat, ſi Deus cognoſceret ſingularia, vileſceret. Dico, quod ſana mente debent philoſophi interpretari, & potius ad bonum ſenſum, quàm in cõtrarium, quando fieri poteſt in fauorem ſemper veritatis, & debẽt dicta dictis concordari, & contraria reſolui; quoniã ſummi philoſophi diuerſis propoſitis, diuerſis in locis, diuerſa proferunt, quæ varijs reſpectibus poſſunt eſſe vera, & falſa. Dico enim, quod notitia ſingularium poteſt multipliciter accipi, diſtinguendo entitatem indiuiduorum; dicit enim Auerr. in diſp. 13. quod duplex eſt gradus entis, Nobilis, & Ignobilis. & primus eſt cauſa ſecundi. & dicit, quod ſcientia Dei eſt alligata omni enti, vt habet entitatem nobiliſsimam. dicit etiam ibi, quod ſcientia ſingularium eſt ſenſatio, aut imaginatio; & poteſt etiam diſtingui de ſcientia, videlicet, quod Deus ſcit, & non ſcit omnia. ambo enim hæc contradictoria de Deo verificantur. cum enim dicitur, non ſcit: intelligitur ſcientia determinante diminutionem. cum autem dicitur ſcit, intelligitur ſcientia non determinante diminutionem, cuius qualitatem ſolus ipſe comprehendit; & hęc eſt determinatio vera, ſecundum philoſophos, de vniuerſalibus, & particularibus. Vnde dico, quod ſi Deus agnoſceret ſingularia, modo quo ſunt ſingularia extra eum, ſcilicet modo, quo

ſunt entitatis ignobilis, & tribuunt cognoſcenti aliquam diminutionem, & vt ſunt imperfecta, & vilia, & mala, & inordinata; & vt cadunt a prima entitate & bono, & vt eorum cognitio eſt ſolius ſenſus, & phantaſiæ, Deus vileſceret, vt ait Auerr. Sed intelligit Deus, ſingularia, ſecundum eminentiſsimam omnium cognitionem, & extra omnia mala, & ita diuiſibilia indiuiſibiliter, vt vnum ſint in Deo, & plura vnum. Sic pari modo intellectus humanus, cum ſeparatus eſt, poteſt Deo coniungi, & ſecũdum eſſe ſuum intelligit ſingularia, vt ſingularia: ſed non eodem modo, quo in corpore cognoſcebat, ſed perfectiori modo. quoniam cum potentiæ animæ, per quas ſingularia cognoſcebat, non amplius per organa operentur, ſed reuerſæ ſint in eſſentiam ſuam: ideò non formaliter, ſed cauſaliter ipſa ſingularia cognoſcit. Et ſi Diagoreus dicit, ſi anima poſt mortem intelligit, & cognoſcit, ergo poteſt amare: appetitus enim cognitionem ſequitur, ſed Ariſto. dicit, quod intellectus paſsiuus corrumpitur, ergo. Dico, quod ſicut poſt mortem mutatur modus intelligendi, & cognoſcendi: ſic modus amandi. amat enim appetitu intellectuali, ideſt voluntate, & non ſenſitiuo. quoniam for maliter corrumpitur cogitatiua, non autem cauſaliter: quoniam redit in eſſentiam ſuam. Præterea, ſi in ipſo intellectu ſunt rationes formales omnium rerum, & ſpecies intelligibiles, quæ ſunt ſimilitudines rerum, & ſecundum formas, & ſecundum materias: & cum deniq; omnes illę ideæ, quæ ſunt in Deo, ſunt in intellectũ, in gradu imperfectiori, ergo poterit anima ſeparata omnia ſingularia cognoſcere immaterialiter, & vniformiter diuiſa. Falſum ergo dixerunt illi, qui voluerunt, quod animæ ſeparatæ acipiant cognitionem ab ipſis ſingularibus: cum maxima ſit diſtãtia inter eſſe intelligibile, & eſſe materiale, & ſenſibile. Etiam qui dixerunt, quod intellectus non videtur eſſe cognoſcitiuus ſingularium, ſed vniuerſalium tãtum, non veritatem cognouerunt, dicentes, propter hoc, quod

poteſt

poteſt cognoſcere ſingularia per cognitionem vniuerſalium cauſarũ totius ordinis vniuerſi. nihil enim eſt in rebus ſingularibus dicunt, quod ex illis vniuerſalibus cauſis non deriuetur. ſed hoc eſt inconueniens, atque falſum: quoniam quantumcunq; adunentur aliqua vniuerſalia, nunquam ex eis perficitur ſingulare. Et deniq; qui dixerunt, quod anima ſeparata cognoſcit quædam ſingularia, quorum prius cognitionẽ accepit, dum corpori eſſet vnita, & quædam, quorum cognitionem accepit poſt ſeparationem a corpore; ſed non omnia ſingularia; etiam ipſi non bene naturam animæ cognouerunt, quoniam ſi cognouiſſent, quod in intellectu ſunt omnes ideæ, vt diximus, & quod in ipſa anima ſunt omnes potentiæ cauſaliter, non dubitaſſent de cognitione omnium ſingularium, modo intellectuali, immateriali, atque perfectiori modo, quàm in corpore. & ideò quando dicunt de potentijs animæ, In anima ſeparata remanet ſolus intellectus: ſed obiectum intellectus eſt uniuerſale, & non ſingulare: ſcientia enim eſt vniuerſalium, ſenſus autem ſingularium, vt dicitur primo de anima, ergo anima ſeparata non cognoſcit ſingularia, ſed tantum vniuerſalia. Dico, quod quamuis remaneat intellectus: tamen in ipſo cauſaliter ſunt omnis potẽtiæ, & omnes ideæ rerum, ut diximus, per quas poteſt ſingularia cognoſcere, ratione iam dicta. Vnde anima ſeparata non cognoſcit omnia ſingularia per ſpecies prius acquiſitas, ſed per ſpecies ſibi in creatione infuſas, & per idæas, quas habet omnium rerum & nõ cognoſcit anima ea, quæ ſunt hic, non propter loci diſtantiam: ſed non cognoſcit ea, quæ ſunt hic, ideſt temporaliter, & modo corporali, & ſenſibili, & non, ut ait Sanctus Thomas, quia in eis non eſt tanta efficacia intellectiuæ virtutis, vt per ſpecies infuſas omnia ſingularia cognoſcere poſsit. implicat contradictionem, cõcedere ſpecies infuſas, & non poſſe omnia ſingularia cognoſcere. Intelliguntur enim authoritates de cognitione animarum ſepa

ratarum, de his, quæ ſunt hic, quoad modum ſenſibilem, & temporalem, non autem intellectualem, & æternum. Et quando dicunt, quod ſingularia ſunt ta, & infini ſpecies influxæ non ſunt infinitæ, non ergo anima ſeparata per tales ſpecies poteſt ſingularia cognoſcere. Dico, quod ſingularia materialiter ſunt infinita, ſed immaterialiter, finita: quoniam diuiſibile in ſeparatis indiuiſibiliter comprehenditur, atque cognoſcitur, & ſpecies infuſa, quamuis ſit immaterialis, & diſtincta, & tamen ſimilitudo rei, & quãtum ad formam, & quantum ad materiam, in qua eſt diſtinctionis, & indiuiduationis principium. & ſic cum ſint ſimilitudines idæalium formarum, quæ ſunt in mente diuina, poſſunt diſtinctæ repræſentare ſingularia. & hoc modo anima ſeparata per ſpecies ſibi infuſas, cognoſcit ſingularia, inquãtum ſunt ſimilitudines ſingularium per modum iam dictum: quoniam tenet in ſe anima idæas, ſpecies, & ſimilitudinis omnium rerum, appellentur quocunque nomine vultis. Et quando dicunt potentiæ diſtinguũtur per obiecta, ſed propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ergo obiecta ſunt magis diſtincta, quàm potentiæ. ſed ſenſus nunquam fiet intellectus, ergo ſingulare quod eſt ſenſibile, nunquam intelligibile. Dico, quod ſingulare ſecundum, quod eſt ſenſibile, ſcilicet ſecũdum corporalem immutationem, nunquam fit intelligibilis: ſed ſecundum, quod forma immaterialis intelligibilis ipſum repreſentare poteſt. Vnde immateriale ſingulare, & ſpirituale, eſt intelligibile. Et ſic per ea quæ diximus, non erit amplius dubium de cognitione animæ ſeparatæ, circa ſingularia, tam ratione naturæ ſuæ, quàm ratione Dei, quoniam ſi cognoſcit, & intelligit omnia, & in Deum poteſt transferri, ergo omnia etiam ſingularia cognoſcit. ſed talis cognitio, & intellectio eſt immaterialis, & excellens.

Per cauſam formalem, & finalem poſſumus reſoluere,

An intellectus intelligat ſeipſum.

Quoniam ſi eſt forma independens, & immateriales, ergo intelligit ſeipſum, quia, vt dicit Ariſto. tex. 15. tertij de anima, in his, quæ ſunt ſine materia idem eſt, quod intelligit, & quod intelligitur, & idem eſt quod ſcit, & quod ſcitur.

Præterea ſi omnia intelligit, ergo etiam ſeipſum: quoniam ſi omnia intelligibilia poſsidet, poteſt ſeipſum intelligere, quia operatur per ſeipſum per intelligibilia, quæ actu poſsidet. & hoc affirmauit Ariſto. tex. 8. tertij de anima, quando oſtendit, quomodo per ſeipſum operatur, & ſeipſum intelligit, quia non vnum genus entium, ſed omnia intelligibilia poſsidet. Nec eſt dicēdum, ut Franciſcus Toletus & alij, quod non primo per ſe & directè, ſed indirectè ex alterius externi cognitione intelligat, ſcilicet qa talis cognitio ab obiecto externo ortum habet, ſine cuius conſideratione, non fit, ob id indirecta dicitur. Quoniam directè intelligit ſeipſum. & quamuis quādo cum corpore intelligit, & operatus a phantaſmatibus excitatur intellectus, nō propter hoc phantaſmata faciunt intellectionē, ſed intellectio fit per lumē intellectus agentis intrinſeci. Vnde cum nō ſenſibilia, ſed intelligibilia requirātur pro intellectione, & talia ſint in intellectu excitata a phantaſmate, ergo directè intelligit ipſa, & per conſequens ſeipſum, & ſic per ſe primo, qa rōne idæarū, quas habet, & nō rōne obiecti externi, & phantaſmatum, cum talia non ſint verè intelligibilia, & ideò Ariſt. 12. met. tex. 39. cum dicit, intellectus ſe intelligit, aſſumptione intelligibilis, nō eſt, quia recipiat ſpecies aliunde. ſed quia facit ipſas, quas habet potentia intelligibilis actu, & hoc eſt aſſumere o Tolete. & ſequitur etiam poſtea, quod tu reijcis, quod poſsit in corpore ſubſtantias ſpirituales intelligere per ſe, & diſtinctè proprio lumine, ut vera, & lumine agētis extrinſeci, ſecundū veritatē, ut ſuo loco probauimus. & ſic ruit ſecunda tua concluſio, quod dum intellectus ſe intelligit, & ea quæ in ſe ſunt non facit, per aliam ſpeciem, quam illā ea-

dem obiecti externi: quia dico quod per eãdem, quam in ſe habet, facit non obiecti externi, cum obiecta externa ſint excitatiua, & non perficientia intellectionem. Nec eſt dicendum, ſi a ſe reciperet ſpeciem, uel ab his, quæ inſunt tunc a ſe pateretur, ergo in potentia, cum intellectus poſſibiles ſecundum ſe eſt in potentia, ea omnia, a quibus patitur, & quorum per ſe recipit ſpeciem, ergo eſt in potẽtia ad ſeipſum. Dico quod eſt in potentia ad intellectionem, & non ad ſeipſum, quia habet ſpecies intelligibiles, ſed ſunt potentia, quæ ut intelligantur, quando cum corpore operatur, indigent virtute intellectus agentis, cum excitatione phantaſmatum. Vnde anima, & intellectus non eſt in potentia ad ſeipſum; ſed ad operationem. Similiter ruit tertia concluſio tua o Tolete, quæ dicit, quod non eodem actu, quo obiectum cognoſcit ſe, ſed alio, qui reflexus dicitur, quia dico, quod eodem actu cognoſco Leonẽ, & cognoſco me cognoſcere Leonem, ſicut tenet Iand. q. 13. quĩ per idæam, quã habeo excitatam, cõcurrente agente intellectu intrinſeco, cognoſco Leonem, & per eandẽmet iam cognitam, & præſentem cognoſco me cognoſcere Leonem. ergo per eundem actum. Vnde melius Grego. primo ſenten. diſtinct. 3. quæſt. 2. tenet, qui dicit quod intellectus intelligit directè ſuas ſpecies; ſicut viſus videt colores, & ſimiliter intelligit ſuos actus, habitus, & ſe directè: quam opinionem videntur confirmare Philop. Plot. & ſic in errore fuerunt tam illi, qui dixerunt, quod ſit actu intellectus poſſibilis, per ſpeciem exterioris intelligibilis: & poſtea ſui ipſius format aliam ſpeciem, qua ſe cognoſcit, vt Alfarabius, & Caie. Thiene. qui dicit, quod intellectus ſui ſpeciem format: quam opinionem reiicimus, ut alia a Simp. & Philopono reiicitur. quia experimur nos intelligere noſtra intellectiones, & noſtrum intellectum per ſe. Præterea illo modo ſenſus ſe ſentiret, nullaque eſſet differentia ipſius ab intellectu. Concludamus igitur, quod cum ſit independens forma,

& per

& per conſequens immateriales, immixta, & omnia potens intelligere, quod etiam poteſt ſeipſum intelligere; cũ in abſtractis à materia, & in his, quæ omnia intelligibilia poſsident, idem ſit intelligens, & quod intelligitur, ut diximus, & affirmat Ariſtoteles.

Per cauſam materialem reſoluitur quæſitum.

Num potentiæ ſenſitiuæ remaneant in anima ſeparata.

Quoniam, cum anima ſit forma corpus humanum ſpecificans, ergo cum per uirtutes, & potentias operetur in corpore; & tales uirtutes vel potentiæ dependeant ab eſſentia animæ, vt probauimus, & non a corpore, ſequitur neceſſario quod remaneant etiam in anima ſeparata, quia ab ipſa ſeparari non poſſunt. nec eſt dicendum, quod ſunt proprietates naturales compoſiti quidem, ut ſubiecti, animæ verò, vt principij: quoniam ſunt proprietates ipſius animæ, & eadem in eſſentia cum ipſa anima, ſcilicet cauſaliter, quamuis non formaliter; & etiam non quia anima ſeparata ſit talis uirtutis, ut ſi uniatur corpori, iterum poteſt cauſare has potentias in corpore: quoniam ſunt meliori modo, & perfectiori, quàm in corpore. & quamuis nõ exerceat eas anima modo corporali, exercet ipſas modo intellectuali, & ſic non opus eſt arguere. Fruſtra eſt potentia, quæ non reducitur ad actum; nihil autem eſt fruſtra in operationibus Dei, ergo potentiæ ſenſitiuæ, nõ manent in anima ſeparata, in qua non poſſunt reduci in actum: quoniam intellectualiter operantur. Et quando Ariſto. in tertio de Anima loquens de intellectu dicit, quod hoc ſolum ſeparatur, ſicut perpetuum a corruptibili, ergo potentiæ ſenſitiuæ non remanent in anima ſeparata. Dico, quod loquitur de differentia intellectus agentis, & poſsibilis, vt diximus, uolens dicere, quod agens ſeparatus

tus

tus eſt a corpore,& ab organo ſemper,non autem poſsibilis: quoniam poteſt uerti ad inferiora,& ſic non ſequitur, ergo potentiæ ſenſitiuæ non remanent.Et ſimiliter,quando philoſophus in 16 de Animali.dicit,Quod quarum potentiarum operationes,non ſunt ſine corpore,neque ipſæ potentiæ ſunt ſine corpore, ſed operationes potentiarum non ſunt ſine corpore;exercentur enim per organa corporalia,ergo potentiæ ſenſitiuæ,non ſunt ſine corpore. Dico,quod formaliter verum eſt,quod exercentur per organa corporalia;cauſaliter verò non,quoniam ſe retrahunt in eſſentiam ſuam. Et ſi dicunt,quod nulla res deſtruitur propria operatione, ſi ergo potentiæ ſenſitiuæ remanerēt in anima ſeparata, haberent proprias operationes, quod eſt impoſsibile. Dico,quod potentiæ ſenſitiuæ habent propriam operationem in anima ſeparata nobiliori modo, & perfectiori, & ſic hæc non eſt deſtructio, ſed tranſitus de imperfecto ad perfectum.

Præterea habemus Ariſt. in Ethicis,qui dicit,quod mortui triſtantur,& delectantur:ſed tamen non quod illa mœſtitia,& delectatio eis addat,neque diminuat.quod confirmat Aug.ſuper Gen. dicens, quod aīa quædam ſentit ſine corpore,ſ.gaudium,& triſtitiā.ſed quod conuenit aīę ſine corpore,eſt in anima ſeparata, ergo ſenſus eſt in aīa ſeparata,nec eſt dicendū,quod per uerba illa Aug.nō intelligitur, quod anima aliqua ſentiat abſque organo corporali; ſed quod aliqua ſentiat abſque ipſis corporibus ſenſibilibus,ut potè metum,& triſtitiam;aliqua uerò per ipſa corpora,ut potè calidum, & frigidum: quoniam authoritas clara eſt,& præcipuè illa Ariſt. qui dicit, poſt mortem,ſed quoniam nobiliori modo utitur anima iſtis potentiis,ſcilicet intellectualiter: ideò nō diminuunt, neque addunt fœlicitatē, uel infelicitatē mortuis triſtitia, uel gaudiū. Amplius, eorum quæ ſunt idem ꝑm eſſe, uel ꝑm ſubſtantiam vnum non poteſt ſine altero eſſe; ſed anima ſenſibilis, & rationalis in homine ſunt idem, ſecundum eſſe, &

ſecundum ſubſtantiam, ergo non poteſt eſſe, quin ſenſus non remaneat in anima rationali ſeparata, nec ſoluitur ratio hæc dicendo, quod ſubſtantia animæ ſenſibilis in hõmine, manet poſt motem, non tamen manent potentiæ ſenſitiuæ: quoniam hoc eſt ſeparare, quod unitum eſt, cũ potentia conſequatur eſſentiam: ideò potentiæ manent, & ſunt in ipſa eſſentia animæ cauſaliter, & nobiliori modo operantur, ſicut calor in inferioribus, quia dependet a cœlo operatur hic uno modo, in cœlo nobiliori modo, ibi formaliter. in cœlo cauſaliter. ſic potentiæ in corpore formaliter, in anima ſeparata cauſaliter, & eſſentialiter.

Præterea philoſoph. dicit in tertio de Anima, quod ſi ſenex accipiat oculum iuuenis, uidebit utique ſicut & iuuenis. ex quo uidetur, quod debilitatis organis non debilitantur potentiæ ſenſitiuæ, ergo nec deſtructis deſtruuntur. & ſic uidetur, quod potentiæ ſenſitiuæ remanent in anima ſeparata. Nec eſt dicendum, quod per accidens corrumpuntur: quoniam ſi hoc per accidens habet reſpectũ ad eſſentiam animę, falſum eſt: quoniam, quod eſſentialiter dependet ab incorruptibili, per accidens ratione eſſentiæ incorruptibilis, non poteſt corrumpi ſi ratione corporis hoc non eſt contra nos, quoniam ſufficit, quod potentiæ de ſe non corrumpantur, & in ſubſtantia ſeparata ſine corpore remaneant. & hæc ſatis.

Per cauſam formalẽ, & finalẽ, poſſumus reſoluere q̃ſitũ,

Num anima ſeparata a corpore poſsit intelligere.

Quoniam ſi per primum corollarium cauſæ formalis, probauimus immortalitatem, atque æternitatem animæ a parte poſt, & per cauſam finalem, quod omnia cognoſcere, & intelligere poteſt, ergo ſemper intelliget, cum ſit æterna, ergo in corpore, & ſeparata a corpore, cum intelli-

gis per ipſas intelligere: tamen propter motus ſuos corporeos, & occupationes ſenſibiles retinetur, vt non poſsit ita liberè lumine clarificari, ſicut poſt ſeparationem. Vnde conſequenter reſoluitur quæſitum, quaſi ſuperfluum a Latinis motum.

Num Anima ſeparata poſsit intelligere ſubſtantias ſeparatas.

Quoniam ſi poteſt intelligere omnia in corpore, & extra corpus, & ſingularia, & quod in corpore poteſt intelligere abſtracta: tanto melius cum erit ſeparata. nam ſimile ſimili cognoſcitur. ſed anima ſeparata eſt ſubſtantia ſeparata, ergo poteſt ſubſtantias ſepararas intelligere. Et quãuis anima vnita corpori eſt, quodãmodo perfectior, quã ſeparata, ſcilicet quantum ad complementum ſpeciei humanæ: tamen quantum ad actum intelligibilem habet alĩquam perfectionem a corpore ſeparatam, quam habere non poteſt, dum corpori eſt vnita: quoniam dum eſt in corpore, quandoque poteſt intelligere, & quandoque nõ, extra corpus ſemper. quoniam non impeditur, ſed libera eſt. Nec hoc eſt inconueniens, quoniam operatio intellectualis competit animæ, non inquantum eſt forma corporis: ſed inquantum eſt forma corporis independens. & ſic anima cognoſcit ſubſtantias ſeparatas ſemper, ſecundum modum ſuum intelligendi. & quia ſemper intelligit, & abſque occaſione phantaſmatum, & liberè: ideo dicitur perfectiori modo intelligere, quàm in corpore.

Per candẽ cãm finalem, & ꝑ pdicta poſſumus reſoluere,

Num anima ſeparata cognoſcat omnia naturalia.

Quoniam ſi omnia intelligit, & in corpore, & extra corpus,

pus,& ſeparatas ſubſtantias, ergo omnia naturalia intelli git: quoniam in ſubſtantijs ſeparatis ſunt ſpecies omniũ rerum naturalium. Præterea, ipſa anima ſeparata habet idæas omnium rerum factas perfectas, ergo ſi eſt in actu reſpectu omnium intelligibilium, ergo intelliget omnia naturalia. Amplius,quicquid eſt in inferiori natura,totũ eſt in ſuperiori,ſed anima ſeparata eſt ſuperior rebus natu ralibus,ergo omnia naturalia ſunt quodammodo in anima,ſed anima cognoſcit ſeipſam, ergo cognoſcit omnia naturalia. Adhuc quicunque intelligit maiora intelligibilia,intelligit etiam minora, ut dicitur tertio de anima. ſi igitur anima ſeparata intelligit ſubſtantias ſeparatas, quę ſunt maximè intelligibilia,vt diximus,videtur ſequi, qđ intelligat omnia alia intelligibilia,& per conſequens naturalia.& ſic ſecundum naturam animæ ſeparatæ,natu ralia cognoſcentur,cum ſit immaterialis immaterialiter, cum ſit ſimplex modo ſimplici, cum ſit libera a corpore modo perfectiori,& ſemper. Nec eſt dicendum,quod per lumen agentis extrinſeci habentis cognitionem omniũ rerum naturalium,cognoſcat anima naturalia: quoniam proprio lumine poſſunt fieri cognoſcibiles omnes ideæ, & per ipſas omnia cognoſcere. Verum eſt, quod per lumẽ intellectus agentis vniuerſalis cognoſcit perfectiori modo,& ſecundum ueritatem,quod proprio lumine,ut uerũ cognoſcit.& differẽtia eſt iſtius cognitionis ab illa,quando in corpore eſt,quod hic difficulter, & raro accidit homini talis cognitio, ſed poſt mortem ſemper eam habere poteſt. Concludendo igitur, dicendum eſt, Anima intelligit omnia in corpore,ergo tantò melius extra corpus.in corpore poteſt cognoſcere omnia ſpeculabilia,& naturãlia, ergo multò melius, cum erit ſeparata. & ſic dubium reſoluitur.

Per cauſam materialem, & finalẽ põt reſolui dubium,

An vna anima ſit ſecundum ſe

altera

altera perfectior.

Ideſt an animæ intellectiuæ inter ſe ſint æquales,nõ quantitate,cum anima non ſit quanta,ſed perfectione,non accidentali,ſed intrinſeca, & ſubſtantiali. Quoniam cum anima ſit forma,corpus humanum ſpecificans, ergo nulla dabitur ſubſtantiæ diuerſitas; quoniam ſi in omnibus alijs formis ſubſtantialibus,& accidentalibus,nulla datur diuerſitas ſubſtantialis, & intrinſeca perfectio, ergo nec in ſpecie animarum rationalium; ſed tantum datur differentia indiuidualis,& numerica. Præterea Ariſtot.3.met. cap.3.tex.2.dicit,quod in ſpecie non eſt prius, nec poſterius,ſicut in genere. Amplius dicit, quod in genere latent æquiuocationes, ideſt diuerſæ perfectionis ſpecies, at ſi ſub ſpecie eſſent etiam diuerſæ perfectionis indiuidua, etiam ſub ſpecie laterent æquiuocationes. Nec ualet dicere,ſi ſunt æquales,ergo ſeparatæ a corpore nõ diſtinguuntur inter ſe: quoniam non inquantum animæ, & quoad formam differunt: ſed inquantum habent materiam propriam cum ſua aptitudine ad eſſe. Amplius, a ſufficienti diuiſione ſic arguo.ſi differunt perfectione vel rõne materiæ,uel rõne formæ, uel rõne vtriuſque. non rõne materie,cũ perfectio non ſumatur a materia,ſed a forma. Non ratione formę,cum ſint eiuſdem ſpeciei,ergo nec ratione vtriuſque,ergo æqualis perfectione differentes per aptitudinem, quam habent, ratione propriæ materiæ, ut diximus ſuo loco. quæ differentia non eſt ſpecifica,ſed indiuidualis. & hæc differentia non facit perfectionem, nec imperfectionem: ſed plurificat animas, cum omnis plurificatio ab ipſa materia proueniat. Non ergo bene ſenſit Caie. 1.p.q.85.ar.7.qui putauit animas eſſe inæquales. Et quando Ariſtote. ſecundo de generatione animal. Cap.3.dicit, quod prout anima eſt perfecta magis, vel minus: ita corpus præparat magis,vel minus perfectum, ibi loquitur de diuerſis animarum ſpeciebus, & generibus,ſcilicet ſenſitiua,

tiua, uegetatiua, & intellectiua; non de his, quæ ſub una ſpecie ſunt. Nec operationes, & qualitates diuerſæ animarum poſſunt arguere perfectionem, & imperfectionem: quoniam non ab anima, ſed a corpore, & inſtrumentis proueniunt. Imò per cauſam finalem poſſumus concludere, quod determinauimus, qui ſi data eſt ad hunc finem, vt omnia cognoſcere, & intelligere poſsit, ergo cum omnes animæ omnia intelligere poſsit, ergo æquales. Et ſi diceret Theologus, Anima Chriſti nonnè diuerſa, & perfectior eſt illa ruſtici? dico, quod quoad ſubſtantiam non inconuenit: quoad gratiam, & gloriam, omnem excedit creaturam. Amplius, ſi una anima alteram in perfectione ſuperaret, ergo & quoad intellectum, & liberum arbitriũ; & hic eſt error, quoniam hæc non ratione animæ accidunt: quia perfectio, & imperfectio non ſumitur, niſi ratione eſſentiæ, & non corporis aliter ſtulti habebunt animam ſtultam; & impotentes ratione uti, non habebunt liberum arbitrium, & uoluntatem. quod dicere, & aſſerere fatuum, & impium eſt. Concludamus igitur cum noſtris principiis materialibus, & finalibus, cum ſit forma omnia cognoſcere, & intelligere potens, quod una altera non poteſt eſſe perfectior: ſed omnes erunt æquales, ſecundum ſe.

Per cauſam materialem poſſumus comprehendere.

Num anima ſeparata poſsit pati, & perpetuo uexari.

Quoniam ſi eſt forma corpus humanum ſpecificans, ergo anima poteſt amore corporis tota ſe illi immiſceri, & nõ euadere ab huiuſmodi affectionibus liberam. Cum ergo anima paſsionum imagines ſuſcipere poteſt, ergo poteſt ab ipſis vexari. & pro dilucidatione iſtius nobiliſsime quæſtionis, ſciendum, quod aliàs ſuſtinuimus per triduũ

in templo Sancti Auguſtini Patauij 1558. die decimonono vigeſimo & vigeſimoprimo, Maij multas concluſiones Platonicas, & peripateticas. inter quas hanc defendere conati ſumus, ſcilicet quod ſpiritus, qui in nobis eſt multa patitur. quarum paſsionum imagines anima ſæpe ſuſcipit, & tales, ut eam poſsint perpetuo uexare. & fundamentum talis concluſionis erat, quod omnis paſsio oritur ex principio ſẽſus. aliquæ enim in ſenſu, & corpore manent, ut dolor ex aliqua membri læſione, ut voluptas in coitu. aliæ verò in ſpiritu fortificatæ illum uexant, ut amor ira, timor, odium, & huiuſmodi, quæ dicuntur animi affectus. Hæ autem paſsiones per ſæpe animam quoque coinquinant. cum enim anima amore corporis totam ſe illi immerſerit, non euadit ab huiuſmodi paſsionibus libera. eſt enim iam quodammodo ſpiritus, quia ſcilicet ſolas eius actiones perficit, & illi tantum intendit, ſed huius rei contrarium ſentit Plot. in libro primo & alibi iudicans animam ipſam non poſſe continuari. quod tamen Porphyrius, Proclus omneſque Platonici ſpernunt, atque reiiciunt. ſed quærunt eius dictum ſaluare quodammodo. ſed hæc nihil ad nos. ſtat ergo animas poſſe huiuſmodi paſsiones ſuſcipere. cum enim propriè ſunt paſsiones, ſpiritus anima illi immerſa ſuſcipit eas, & per ipſas in ſpiritu uiget. & per hunc in corpore. Sunt ergo in anima tanquam imagines, quia eſſentia earum paſsionum propriè eſt in ſpiritu. Tenet Eccleſia ſancta, cum Euangelio, animas aliquas dæmonibus malis æterno cruciandas. Idem tenet Mercur. in Pim. & omnes veri philoſophi faſsi ſunt, dantes quendam locum ſubterraneum, in quo animæ patiantur. huius rei rationem talem affero. Anima naturæ liberæ corpori ſe applicuit, ac ſenſuum illecebris tracta, illi ſe penitus implicuit, oblita creatoris ſui, & omnium bonorum. in hac ergo ob id contracta eſt, & genita ab affectibus voluntas, & deſiderium per-

petuæ coniunctionis cum corpore, ita ut cum eo agere ſemper cupiat. adeoque eſt immerſa paſsionibus, ut ſolui nolit. hæc ergo abiens a corpore contra ſuam uoluntatem, & trahens ſecum ſpiritum, quem animæ imaginem, & idolum dicunt, cum eo coniuncta manet: quia diſiungi non vult, & poteſt perpetuo ſtare cum eo. ſtans autem cum eo, genitas in illo paſsiones ſemper ſentit, & ideo cum nolit vnquam a talibus paſsionibus remoueri, perpetuò patitur. neque in hoc eſt damnanda Dei clementia, quæ non liberat illam, cum ipſa ſe nolit liberari. Vnde malè Origenes ſenſit eas, ac magnam dæmonum malorum partem, aliquando ad Deum redituros. putauit enim eas pœnitere talium paſsionum, cum non pœniteat anima. quod ſi penituiſſet, & nihilominus aliquid affectuum ſecum contraxiſſet. Nam difficile eſt, animam euadere penitus liberam, quæ multum fecit facta ſerua. pateretur pro tempore, donec purificaretur, & inde probatur purgatorium. Hanc perpetuam vexationem, & abſentiam a bono, alio etiam modo probo. Dantur aliquæ animæ, quæ perpetuo gaudent, & beatæ ſunt, ut animæ cœleſtium. dantur etiam quædam, quæ aliquando a tali gaudio remouentur, ſed poſſunt redire. igitur dabuntur quædam, quæ aliquando a tali gaudio remotæ, non poterunt amplius redire. patet conſequentia, quia per Ariſtote. & Auerr. duodecimo met. trigeſimoſexto. ſi datur medium, & vnum extremorum, neceſſe eſt dari etiam aliud extremorum. Deinde idem patet, quia oportet in rerum ordine deuenire ad vltimum eſſe, quo aliud non ſit inferius: ſecus imperfectus erit ordo, & malus, cum adhuc vltimum poſsit gignere, & non gignat. Igitur ad hoc, ut mundus ſit perfectus, neceſſe eſt dari tales animas, quæ nunquam redibunt, & dari infernum. probo a primo eſſe cadi eſſe ſecundum, ab hoc tertium, donec illud quod eſt actu ſolum gignat aliquid, quod non actu, ſed potentia eſt. hic eſt mundus elementa-

mentaris. & ut ad rem ueniam, in hoc ſtatu ſumus nos, qui cadimus ab æterna beatitudine. cum hoc tamē, quod ad eam poſſumus actu uenire. huic autem ſtatui inferius aliquid cogitatur; quod ſcilicet nec eſt in beatitudine, nec venire poteſt, ergo infernus neceſſario datur. quia melius eſt, vt ſit, quam non, quoniam ſecus deficeret in ordine rerum vnus gradus. at ille licet ſit peſsimus, ſit tamen quomodocunque, melius eſt, ut ſit, quàm ut non ſit. quoniam eſſe eſt melius, quomodocunque ſit, quàm non eſſe. igitur neceſſe eſt dari mundum perpetuæ paſsionis, & afflictionis, qui cadit a mundo corruptibili: in quo ſunt ea, quæ cadunt a potentia regrediendi ſurſum, uel ſtandi in eo mundo. tales autem ſunt eæ ſolæ animæ, quæ neceſſitate naturæ ſoluuntur a corpore, & cadunt propter affectus corporeos, quos ſecum habet a mundo corruptibili. & quoniam tali deſiderio ſemper ſunt: ideò perpetuò damnantur, & patiuntur. & hæc eſt reſolutio quæſtionis, per cauſam materialem: quoniam ſi non eſſet forma corporis, ſed aſsiſtens, & ſeparata, ut multi dixerunt, non ſe corpori immiſceret. hanc autem materiam a nemine ſatis declaratam, ſed ne tactam quidem vidi. ideò hanc digreſsionem facere uolui. & hoc vnum ex ſecretis philoſophiæ noſtræ ſapientibus propalare uolui.

Hæ ſunt principales quæſtiones, quæ ſolent ab omnibus communiter quæri, & per practicam noſtram ſupradictam quiſque ordine, atque methodo noſtro & verorum philoſophorum edoctus poterit alias omnes decidere, atque reſoluere. quoniam talis modus non eſt ſuſpectus, non extraneus, non accidentalis nec tranſcendens naturam rei. nec denique ſequens hunc, & illum philoſophum: ſed ſequitur veritatem. ideo proprius, intrinſecus, rationalis, & ſcientificus. Vnde cum neceſſarius per ſe & impoſsibile aliter ſe habens ſit, ideo demonſtratiuus.

Nonnè per definitionem propriam, nonnè per cau-

ſas definitionis intrinſecas, non denique per naturam propriam rei omnia reſoluimus.

Sed quidnam eſt principium demonſtrationis, niſi ipſa definitio? Si ergo per ipſam omnia concluſimus, nonne neceſſario, nonnè per ſe, & demonſtratiuè omnia dilucidata fuere? Tales modus procedendi reſecat vanas vocabulorum diſtinctiones, uarias rerum æquiuocationes; & innumera, atque infinita argumenta ſofiſtica, & nihil ad rem concludentia. Definitio tantæ eſt dignitatis; quod in ipſa tanquam in ſpeculo relucet eſſentia rei, & proprio lumine demonſtrat eius proprietates, & difficultates contingentes in ipſa, reſoluit, vt diximus. In noſtra igitur definitione implicitè, & virtualiter continentur; quæ ſeptem libris diffuſius, atque perfectius explicauimus. Vnde ſermo, quem habuimus in his libris; nihil aliud eſt, quàm diffinitio explicata; ſicut in libris poſteriorum nihil continetur, quàm definitio demonſtrationis ab Ariſtotele tradita. & libri de anima tres; nihil aliud continent, niſi explicationem definitionis genericæ ipſius animæ in ſecundo libro ab Ariſtotele traditæ. quoniam ipſa virtualiter, & implicitè omnia, quæ in illis libris tractantur, continet. Similiter in libris ethicorum de fœlicitate, idem dicere poſſumus.

Et cum hæc ſatis ſint, quoad totam definitionis methodicam perfectionem, vt excellentia animæ totaliter demonſtretur, quaſdam Antiquorum fabulas declarabimus, & noſtro propoſito applicari poſſe facilè oſtendemus, cum a ſapientibus naturæ ſecreta, & res diuinæ fabulis ſemper immixtæ fuerint: ne ignorantiæ filij ſapientiam raperent, & ipſam vilipenderent.

Incipientes igitur declarabimus fabulas, & Methaphoras Mercurij, quærentes.

Quare ſapiētia ab Antiquis Mer-

curio

curio attribuatur, & ab Aſtrolo gis verſatilis Planeta dicatur, & à Pictoribus depingatur tenens in manu caduceum cum duabus alis, & duobus ſerpentibus, habens in capite alias duas alas, & in pedibus etiam alias duas,

& quare denique tot nominibus, tot fabulis, & tot operationibus Alchimiſtæ philoſophi ipſum prædicauerunt, edocuerunt, atque lacerauerunt? Nonnè Mercurius eſt anima rationalis, quæ ſola ſapientiæ capax eſt? non nè ipſa verſatilis eſt, ſicut vidimus, quoniam cum ſenſu fit ſenſibilis, cum intellectu intelligibilis, potens ſpiritualitate ſua inferiora, ſuperioraque permeare? quid enim ſignificant quinque ſenſus, niſi mali planetæ? & quid ratio, uel intellectus, niſi boni planetæ? ideo cum iſtis bonis eſt bona, cum illis malis eſt mala. Quis, quæſo, habet dominium rerum terreſtrium, ſerpentibus aſsimilantium, & rerum ſpiritualium animalibus deſignantium, niſi anima, quæ arbitrio manus ſuæ tenet caduceum poteſtatis virium ſuperiorum & inferiorum? ipſa enim ratione, & intellectu alis ſuperioribus ſuperiora conſcendit, & eadem alis inferioribus, ſcilicet ſenſibus interioribus, & exterioribus ad infima cadit. & per primam operationem, dicitur anima ſtans, & manens: & per ſecundam anima cadens, & progreſſa. Ideo bene dicitur

ab Alchimiſtis, quod Mercurius facit opera contraria ſecundum diuerſitatem, & modum regiminis eius. quoniã ſi a ſenſu anima regatur, fit naturalis, ſi ab intellectu intellectualis quæ ſunt operationis contrariæ. Ipſa autem anima rationalis dicitur Mercurius mineralis, vegetabilis, & animalis: quoniam eſt vna eſſentia, habens plures virtutes, & facultates, per quas in primo ſui ortus dat eſſe, deinde vegetare, & vltimo ſentire. Rectè igitur dixerunt vnus lapis, vna medicina, in quo nihil addimus, neque diminuimus, niſi quod in præparatione ſuperflua remouemus: quoniam in ipſa ſunt ideæ omnium rerum: ideò nihil addimus, niſi quod præparamus ſenſus ad obedientiam rationis, rationem ad obedientiam intellectus, & omnia quæ ſunt in lapide anima noſtra ſunt eidem neceſſaria, & de nullo alio indiget, quoniam habet proprium agentem intellectum, qui illuminat idæas progreſſas, reducens eas de potentia ad actum. & perficitur poſtea lapis anima noſtra, quando facta ſciens proprio lumine coniungitur lumini diuino, ſubleuans ſe ad intelligentiam veriſsimam rerum diuinarum. *Ideò* benedixerunt, vno vaſe ſcilicet in corpore poteſt perfici, vna uia ſcilicet uermetis, qui dicit, quod id, quod eſt inferius, eſt ſicut id, quod eſt ſuperius: quoniam nihil aliud eſt ſe perficere, quam a ſenſibilibus ad intelligibilia aſcendere. & vno regimine ignis ſcilicet lumine ſupra naturali quod eſt ignis non deſtructiuus, ſed melioratiuus, conſeruans, & perficiens in vltimam perfectionem lapidem animam noſtram. Ita quod rectè poſuerunt duas eſſe operationes lapidis, ſcilicet corporalem, & ſpiritualem, & quod una exit ab alia: quoniam duæ ſunt operationes animæ noſtræ corporalis, & ſpiritualis; & per corporalem poſſumus aſcendere ad ſpiritualem. Non ſine etiam myſterio dixerunt, principia lapidis eſſe ſulfur, & argentum uiuum, quoniam ſenſus, qui nobiles ſunt, & inſtabiles indigent ratione,

tione, & intellectu pro regimine, & retentione, ut poſtea fiat ſulfur philoſophorum, & uera intellectio. ideſt: oportet, ut ſenſus obediant rationi, & ratio intellectui, ſi anima coniungi debet lumini diuino, quod eſt ſulfur philoſophorum, & occultum lapides, & animæ noſtræ. & eſt arbor aurea, de cuius fructu qui comederit non eſuriet unquam. Iſtud Lumen eſt Sol non uulgaris ſed philoſophicus, & anima noſtra facta ex ſe perfecta per proprium agentem, & diſpoſita ad ſuſcipiendum Solem lumen diuinum, eſt Luna philoſophica, & non futurorum. Si ergo ex ſenſu, & intellectu, tanquam ex Mercurio & ſulfure, uolumus conficere ſulfur uel lapidem album, oportet, quod anima noſtra fiat intellectualis: tunc eſt facta lapis albus, ſcilicet perfecta ex ſe, & ſecundum ſapientiam humanam. & ideò non habet ultimam fixionis perfectionem. & ſi ulterius non progreditur, remanet in tenebris: quoniam priuatur lumine diuino perficienti ipſam. ideò benè dixerunt, hic eſt lapis, cum quo titubauerunt omnes, qui abierunt; & mortui ſunt plurimi eorum cum dolore, & triſtitia: quoniam declinauerunt ad uiam dæmonum, & reliquerunt uiam prudentiæ. Nonne philoſophi, qui ſolo proprio lumine ad culmen omnis ſcientiæ peruenerunt, non vlterius progreſsi confuſi moriuntur? & dicuntur declinare ad uiam dæmonum, quia eſt uia imperfecta, & non ſecundum ueritatem, quoniam ad ueritatem cognoſcendam vlterius progredi oportet.

Quærendum igitur eſt vltra Lumen proprium lapidem rubeum, ſcilicet Lumen diuinum, quoniam per hoc omnia ſecundum ueritatem cognoſcimus, & filij Dei euadimus; ideò benè dixerunt ſapientes, quod inuenitur lapis rubeus in locis altiſsimis, cum quo magnificauerunt ſe philoſophi ſuper omnes alios, & uaticinati ſunt futura. nonne tunc anima in altum con-

ſcendit, cum coniungitur lumini diuino? Nonnè il-lo mediante omnia poteſt ſcire, & operari, atque mirabilia facere? Et quoniam pauci ſunt, qui ad hoc lumen in hac uita ueniunt, ideò dixerunt, quod lapis a multis quæſitus eſt, & a paucis inuentus. & rectè dixerunt, quod eſt Lapis rubeus, & purus ignis: quoniam intellectus noſter coniunctus cum diuino, fit tota charitas, quoniam coniungimur Deo, qui dicitur ignis conſumens, per ſanguinem rubeum Chriſti.
O ſublimis Mercurius, & anima noſtra, quæ talia ac tanta poſsidere meruiſti. Ideò benè ſapientiſsimus Geber loquens de ipſo Mercurio anima noſtra, dicit. Laudetur igitur Benedictus, & glorioſus DEVS Altiſsimus, qui creauit illud, & dedit illi ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietates, quas non contingit vllam ex rebus in natura poſsidere. Vnde tangit etiam creationem ſuam.

Quid eſt ſublimatio Mercurij, de qua exclamat iſti philoſophi, niſi ſeparatio animæ a fœcibus, & incitamentis ſenſualium affectionum. tunc anima dicitur ſublimata, & exaltata. Ideo bene dicunt, Noſtrum ſublimare non eſt ad ſuperiora Thalami aſcendere, uel ſuperius eleuare: ſed ſublimare philoſophorum, eſt de re baſſa, & infima altam, & nobilem facere. & magnam, & puram, atque uirtuoſam, & de corrupta facere incorruptam anima igitur exaltata a ſenſibus, & ſubleuata, cum facta fuerat corruptibilis, & mortalis annexa intellectui proprio, & per hunc diuino fit alta, nobiles, magna, pura, uirtuoſa, & denique incorrupta, & immortales. Abluamus igitur terram carnalitatis noſtræ, & ſplendidam atque ſpiritualem ipſam faciamus, quoniam hoc eſt abluere philoſophorum; & hæc eſt dignificatio animæ, & ſubleuatio ipſius a corpore: quoniam tunc corpus ad nocturnam ſpiritus redactus eſt, & ſenſibile factum fuit intelligibile: ideò bene dicunt, corpora ſoluta

ta ad naturam ſpiritus ſunt redacta. ſic etiam anima ſoluta a corpore, reducitur tota ſpirituales, & perfecta. Et ſic non ſunt præparationes Mercurii ſublimare, deſtillare, ſoluere, & ſeparare vulgarium, ut fiat lapis mundus, & perfectus; ſed eſt ſeparatio, mundificatio, purificatio, & ſubleuatio, ut diximus, animæ a corpore per uirtutes morales, Theologicas, & purgatiuas, quas ponit Plotinus, vt fiat anima perfectè intellectualis, & diuina.

Tota igitur noſtra perfectio conſiſtit in lumine diuino. hoc verè eſt ſpiritus quintæ eſſentiæ, quem oportet cuſtodire, qui dependet a prima re, ſicut forma formarum, ſcilicet Deo. ideò bene dicitur anima elementorum, anima mundi, & lux clara: quoniam tale lumen omnibus in rebus adeſt, & præcipuè homini aſsiſtit. ſed ipſe non aduertit; ideò qui non cuſtodit ipſum, pertranſit, & non perficitur lapis anima noſtra. ſed quando habemus tale lumen, concordantur omnia, quoniam ſenſus obedit rationi, ratio intellectui, & intellectus lumini diuino, cui coniungitur. quando euaneſcit, omnia remanent confuſa. quoniam ſpiritus aduerſatur carni, intellectus rationi, ratio ſenſui, & econtra. & hoc, quia non eſt amplius ſpiritus quintæ eſſentiæ lumen diuinum, rector omnium vnionum: ideò bene dixerunt, quod ſine ſpiritu quintæ eſſentiæ, impoſsibile eſt aliquid operari. quoniam abſque lumine diuino in tenebris ſemper verſamur, & ſecundum ſapientiam carnis ambulamus.

Ad ipſum igitur recurrendum eſt, quoniam nutrimentum eſt animæ noſtræ, & in ipſo melioramur, atque perficimur; ideo dixerunt, Nutrimentum eius eſt ignis. & quanto magis ſtat in igne, melioratur. Corpora imperfecta igitur per ea, quæ diximus, ſcilicet ſenſus, indigent præparatione, ad hoc, ut obedientes ſint. ſed corpora perfecta, ſcilicet ratio, & intellectus, non indigent

præparatione, niſi vt ſubilientur, & tunc ſufficientere ſunt apta, ut de eis fiat elixer album; uel rubeum, quia cum ſenſus ſunt obedientes rationi; ratio poteſt fieri intellectus, & intellectus poteſt coniungi lumini diuino. Hoc pacto anima ex ſe facta ſpiritualis, cum ſit tanquam lapis albus, tranſmutat omnia metalla, ſcilicet ſenſus, in argentum: ideſt in naturam ſuam intellectualem, & perfectam; & cum eſt facta perfectiſsima, lumine diuino: tunc eſt tranſmutans, tanquam lapis rubeus, non ſolum ſenſus, ſed rationem, & intellectum in ſeipſam. Ideo bene dixerunt, quod Sol, Luna, & Mercurius ſufficiunt ad lapidem; quoniam Mercurius anima noſtra, facta Luna perfecta, proprio lumine, cum coniungitur Soli agenti extrinſeco, fit lapis perfectus, & perficitur in vltima perfectione.

Quare igitur o dementes ſequi literam, & intentionem librorum? non ne ſcitis, quod intentio ſecundnm literam nihil prodeſt, & operatio ſecundum intentionem, eſt diſsipatio diuitiarum? Quare ignari diſtillare vinum, & alia, & non ſequi naturam, & quod in vobis eſt? Quare vos cum medijs operari uultis, cum uino, cum menſtruo, cum herbis, & alijs omnino remotis a natura, & deſtractiuis, ac alienis? Homo, dico, dat quod non habet, ſolum vnum medium eſt anima noſtra: quoniam poſſumus aſcendere ad proprium intellectum, & per illum ad lumen diuinum; ideo non ſine quare inſcriptum erat Antiquitus, Noſce teipſum: quoniam qui ſcit poteſtatem animæ ſuæ, dominus fit cœli, & terræ. & ideo Tolomæus dicebat, Sapiens dominabitur aſtris, quod Aegyptij in hierogliphicis in caractere. occultauerunt, quoniam in ipſo comprehenduntur quattuor elementa, & omnes planetæ, qui ſcit ipſum componere, & diuidere. Volentes inferre, quod anima habet dominium in terra, in cœlo, & ſupra cœlum. Valeant igitur Soſiſtici, & Mechanici Al-

chimiſtæ

chimiſtæ cum ſuis fantaſticis practicis; quoniam ignorantia ducti bona ſua conſumunt alios decipiunt, & omnia in fumum, fœtorem, & denique in nihilum conuertunt. Vnde in deſperationem deducti, animam & corpus amittunt. Si in nobis ſunt omnia quæ quæruntur, ad quid aliunde noſtram fœlicitatem quærere? Ideo bene reſpondit Morienus philoſophus Regi calid interroganti de explicatione lapidis, dicens. Quid tibi multa referam, hæc enim res a te extrahitur, cuius etiam minera tu exiſtis. apud te namque inueniunt illam. ſi in nobis igitur ſunt omnia diſponere debemus animam noſtram ad propriam intellectionem & per illam ad perfectiſsimam. Sed quomodo, quæſo, hæc ultima diſpoſitio fieri poterit? certè, quod cum ſit tota ſpiritualis, & diuina, medijs ſpiritualibus, ac diuinis fieri debet. Sed quid ſpiritualius, uel diuinius ipſa vera religione, ſine qua nulla ſapientia eſſe poteſt, ut ait Lactantius? Nonnè hæc vera Religio eſt ſola Chriſtiana, ut in tractatu de origine veræ, atque falſæ religionis demonſtrauimus? Et non nè caput poſtea ipſius, & rector eſt Pontifex Romanus ſucceſſor Petri, Vicarius CHRISTI, & Miniſter Dei, ut in Lucidario Papali ſeptem libris diffuſius comprobauimus? Cum igitur de fœlicitate, & beatitudine animæ noſtræ tractetur, ad Religionem immaculatam, ſanctam, & Catholicam recurrere debemus, quia eſt illa, ut ait Magnus Auerroes multis in locis, quæ dat gratiam, & ſupplet lumini naturali.

Nam diſputatione tertia ait, quod in eo, in quo deficit intellectus humanus ad comprehenſionem eſt reuertendum ad legem. nam ſcientia proueniens ex prophetia, eſt complens ſcientias intellectus. ſimile habet in diſputa. in phiſ. ſed quomodo, quæſo, habetur, & haberi poteſt ſcientia prophetiæ, niſi per legem, ut ait ipſe, & per Religionem, quæ nobis demonſtrat modum adipiſcendi

piſcendi

piſcẽdi Lumen diuinum? Religionem igitur ſequemur & mandata ſummi Pontificis Principis, & Cuſtodis ſuorum Theſaurorum exequemur. quoniam ipſe eſt imago, & ſimilitudo lapidis Petri, petræ Chriſti. Ipſe ter maximus tanquam locum tenens, & Vicarius generalis, diſpenſator omnis legis, ſcientiæ, & ſapientiæ Dei; ſanctitate, iuſtitia, innocentia, indulgentijs, orationibus, deuotionibus, ſacramentis, correctionibus, & alijs rebus ſpiritualibus, per poteſtatem diuinam, quam habet in terra, & in cœlo, inuitat nos ad beatitudinem noſtram, & poteſt nos liberare a morte, mundare ab iniquitatibus, & ſoluere a peccatis. ac denique diſponere animam noſtram ad hauriendum lumen diuinum per Chriſtum inexhauſtũ fontem, Plenitudinem patris, infinitam ſapientiam, Solem diuinum, Aquam permanentem, aquam vitæ, Lapidem fixum, immobilem, & inconcuſſum, & deniq; Medicinam perfectiſsimam animæ & corporis, quæ ſanat omnes languores, & omnes infirmitates, cõuertens nos homines imperfectos, in plenitudine temporis, in viros perfectos, immortales, æternos, & glorioſos. Concludamus iã igitur ſermonem noſtrum, de ueritate animæ rationalis, & dicamus, ſicut etiam uerũ eſt, quod vltima hominis beatitudo, eſt per gratiam, & lumen Dei; quod Lumen in rationales animas influens, in una præſertim, ſemper totum recipitur, quæ alijs poſtea largitur; & ſicut mandauit ſibi Pater, ſic fecit. & hæc anima animarum præſes, omnis diuini luminis largitrix, in qua ſiſtit lumen ipſum Dei, ea eſt, in qua Deus deſcendit ad homines illuminandos, & in filios adoptandos, ac purgandos, & dirigendos in viam pacis, & terram promiſsionis. & hoc quidem lumen in noſtris animabus ſemper Lucet: ſed illud tenebræ non ſemper comprehendunt, ea propter, ut cognoſceretur in mundum uenit, & Verbum caro factũ eſt, quam qui manducat, non eſurit in æternum. & in hoc nobis quieſcendum eſt, qui eſt Principium, & Finis.

Hæc

Hæc ſunt, quę de Veritate Ani
mæ Rationalis,

Ad Laudem Omnipotentis Dei, quadraginta duobus diebus tempore Epidimię, Venetijs 1577. in Plateą D. Marci, atque nouę Procuratię ędibus, propria, Antiquaque Domo, propę Diui Geminiani templum, Pro communi omnium vtilitate, compilauimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.



V E N E T I I S.

Apud hæredes Iacobi Simbenij.

M D L X X V I I I.

Digitized by Google

Errores & defectus corrigendi.

Pagina 2.lin. 10.minus.nimis.13.2.Hippaci.Hippiæ.14.12.ſemel.
ſimul.14.in marg.opinio philoſophorum rationabilium.hac ſunt ſuper
flua.15.18.inquirunt.inquiũt.17.1.heate.neate.24.in marg.ter.ſit.
25.8.inde pendens.independens.25.31.anteſtat.antiſtat.25.in mar.
eſſe forma.eſſo formam.26.32.& 33.intercedit . intercidit.20.10.
hunc.tunc.24.15.particulari.particulare.24.17.vniuerſali.vniuer-
ſale.21.25.fit.ſit.33.16.diſpoſite.diſpoſiti.33. 30.diſponitur.diſpo-
natur.34.15.pracedent.pracedant.34.15.quod . quoad. 36.1.ſi.fit.
36.20.intellectiuum.intellectiuam.36.in marg.daretur.darẽtur.41.
11.cæleſtis.cæleſtes.42.penul.homine.hominis.43.in marg.a.anima
45.11.te.ſe.45.in mar.corpore.corpori.46.in marg.intellectiua. in-
tellectiuam.48.2.& 3.prietatis.prietates.48.19.ſpecificam.ſpecifi-
cum.49.19.ipſum.ipſam.49.25.quod.quid.51.18. cogitatiue.cogita
tiua.51.27.intellectu.intellectũ.53.11.infirmans.informans.55.18
vi.ſui.57.17.rationis.ratione.57.in marg.Rectum.Dictum.58.a aui
tate.acuitate.65.18.ſpiritus corpore.ſpiritus in corpore. 66.in mar.
natura.materia.67.7.tuli.tali.68.vlt.nudatio.nudata.70.30.propo
ſuerunt.propoſuerat.70.33.ſecundo.vigeſimo.75. 34. Protugarius.
Protagoreus.75.vlt.& huiuſmodi . eſt huiuſmodi.76.12. mortales.
mortalis.77.15.cognoſcemus.cognoſcens.78.11.appetant. appetunt.
78.27.hominis.homines.78.81.obſcura.obſcurã.80.16.& eſt.81.6
in munera.innumera.82.14.acta.actu.82.24.alius.altius.82.14.il-
luminatu.illuminat.83.7.verum.rerum.83.11.diuinam. diuinũ.87.
20.diſcres.diſce.89.20.furiori.furioſi.90.7.patrom.patrem.90.5.
onomaſin.oromaſin.90.12.Ionem.Iouẽ.92.in marg.operatio nã. ope
rationũ.97.10.te.ſe.97.26.Ariſtotelis..Ariſtoteles.98.29.ma.nu.
104.22.Nominale.Nominales.106.4.vt.&.108.31.materia. mate
riæ.109.6.matrria.materiæ.106.8.immobilis. immobiles.109.20.
ſuperatus.ſuperatur.113.5.quod.quod non. 113.13.vnica.vnita.113.
16.li.le.113.16.ſenſibili . ſenſibile.114.30.corporeis . incorporeis.
115.vlt.51.ſi.ſe.120.in marg.differentis.differẽtia.120.27.de.vt.
121.14.iſti.iſte.121.penult ſigno.ſigna.122. 17.habetudinem.ha-
bitudinem.126.6.poſito.poſitio.127.25.magis . nugis.127. 31. &
homo.

homo. eſt homo.129.26.iſtarũ.iſtorũ.138.21.ſit.ſit.139.24.homa
nam.humanam.141.1.ſe.te.144.27.intelligenti.intelligẽ a.147.17.
Numerium. Numenium.148.14.agentes.agentis.150.22. Duximus.
Diximus.150.in marg.intelligentiæ.intelligentia.153.23.corporum.
corpori.154.20.inſtante.inſtanti.154.33.sferma.ſperma.159.1.
commouerit.conuenit.159.10.creationes.creationis.162.21.requi-
ſeuiſſe.requieuiſſe.164.19.quod.quoad.168.3.otentia.potẽtia.169.
13.præſentata.præſentato.170.26.eſt.&.171.1.rationale.rationa-
li.172.hẽre.haberet.173.9.corpori.corporis.180.12.abſtractus.
abſtractas.181.22.hanc.tunc.181.25.hac.hoc.183.10.illi.ille.
182.12.deſtructa.deſtructo.182.19.non ſi.ſi non.182.25.perfe-
ctione.perfectiua.182.26.animæ.animã.182.28.intellectulais.intel
lectualis.184.6.Propria.propterea.184.32.quædem.quadã.188.
5.inteinſeca.intrinſeca.188.23.iſti.iſte.188.29.præceſſam.præci-
ſam.189.15.ſibi.tibi.189.27.agenti.agente.189.32.ſite.ſeſe.189.
34.chus.ebat.190.30.agent.agens.191.11.rationis.rationes.191.
13.perfectę.perfectè.192.24.in quod.in quo 192.34.& eſt.193.
18.enſe.inſe.193.vlt.lumini.lumine.194.3.poſsibilius.poſsibilitas.
194.17.contemplationem.contemplatione.194.31.ſeipſum.ſeipſam.
197.7.debent.debeat.198.4.vir.via.200.6.homini.homine.204.1.
nobiliſsima.nobiliſsimi.204.11.aliјs.aliј.209.9.ſubgerias.ſubgerius.
211.30.Auinaſaris.Auenaſaris.211.34.intuitiua.intuitiue.212.15.
eſt.eſſe.212.26.habilis.labilis.212.28.ſi.ſe.212.33.verſam.veram.
213.9.dialeſtici.dialectici.213.10.deſcendant.diſcedant.215.4.cola.
ſola.215.15.materiales.materialis.216.29.atque complectitur confi
tetur.confitetur atque complectetur.217.24.& aliter.& non aliter.
216.29.animatum.anima eum.219.14.& 16.demonſtrationis.demon-
ſtrationes.220.1.ebiectum.obiectum.220.25.tanſire.tranſire.221.
5.cognitioni.cognitione.222.7.planctis.plantis.231.9.orbes.orbis.
232.12.hãc.hunc.236.5.indebitæ.indebitæ.236.34.infinitorum.infi
nitarum.237.15.forma corpore.forma a corpore.237.21.&.eſt.241
20.ſicut.cum.243.6.corpori.corpore.244.12.li.le.244.13.parci-
piantur.percipiantur.246.7.agenti.agente.246.14.ergo non.ergo.
246.29.Cũ.Num.247.13.leges.legis.250.3.ta & infini.infinita.&
250.9.& tamen.eſt tamen.250.17.ſimilitudinis.ſimilitudines.250.
24.intelligibilis.intelligibile.251.1.immateriales.immaterialis.251.

29.in-

29.intelligibilis.intelligibile.252.6.poſsibiles.poſsibilis.251.32.noſtra.noſtras.253.1.immateriales.immaterialis.256.5.quos.quas 256.10.progreſſu.progreſſa.270.6.qui.quia,271.24.ib.in.274.6. Tales.Talis.276.21.vermetis.Hermetis.277.5.lapides.lapidis. 277.11.futurorum.fatuorum.278.28.nobiles.nobilis.278.29.immortales.immortalis.278.penult.nocturnam.naturam.279.2.ſpirituales.ſpiritualis.280.23.deſtractiuis.deſtructiuis.280.23.Homo.Nemo.280.31.caractere occultauerunt.caractere Mercurio occultauerunt.